


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
2 A
40



CARPANI
ORATIONES.

ORATIONES
IOSEPHI CARPANI
Romani I. V. D.



Protonotarij Apostolici,

In Romana Vniuersitate Iuris Ciuilis in Prima Ordinaria Sede Vespertina Professoris Emeriti,

Intrecciatorum Academiæ Institutoris.

Additis Fastis Academiæ Basilianæ.





ROMÆ, MDCLXXXII.
Typis Ignatij de Lazaris.

Superiorum Permissu.

Illustrissimo, ac Excellentissimo

PRINCIPI



D. LIVIO ODESCALCO

Ceræ Duci

Sanctissimi D. Nostri

INNOCENTII

PAPÆ XI.

Ex germano Fratre Nepoti

Ioseph Carpanus fel.



Os meos in literis humanioribus iuueniles labores, quos vt erudito

† 4 Ami-

Amicorum genio indulgeam, in publicam lucem profero, Tibi perfectæ Iuuentutis exemplari absolutissimo exhibeo, Princeps Excellentissime, in quo morum candorem, ac suauitatem, eximiam animi moderationem, senilem prudentiam, maturitatem iudicij, indolem ad scientias, artesque liberales aptissimam, cæterasque virtutes, ac dotes, quas à Deo accepisti, sæpissimè sum demiratus, dum

à se-

à sexennio ex iussu San-
ctissimi Patrui tui, Pon-
tificis omni laude dignis-
simi, Te in Vtriusque
Iuris peritia, non sine
maxima cordis mei vo-
luptate, instituendum
suscepi. Agnoui siqui-
dem mentis tuæ capaci-
tatem, acumen ingenij,
nobilem discendi ardo-
rem, modestiam, ac pie-
tatem singularem, vno
verbo, agnoui Te sorti-
tum esse animam bo-
nam. Libentissimè igi-
tur in tuæ benignitatis
pa-

patrocinio meam hanc opellam colloco, vt à Te, veluti à Maiori Academiæ meæ Luminari splendorem simul consequatur, ac decus, summumquè pariter Munimen acquirat, & Ornamentum.

Viue diù felix, Iuuenum clarissime LIVI,
Gentis Odescalchæ gloria, viue diù.

IN-

INDEX

De



Im-



Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſ-ſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Angelis Archiep. Vrbinat. Viceſg.



Imprimatur.

F. Dominicus Maria Puteoboncllus Ord. Præd. Sac. Apoſt. Pal. Mag.



DE



DE DEO TRINO, ET VNO



ORATIO

Habita ad Vrbanum VIII. Pont. Max. In Sacello Pontificum Quirinali Die 18. Maij 1636.



EMPLVM Diuinæ magnificentiæ rerum integram Vniuersitatem iure dixerim B.P. in

qua, & pauimentum terræ vastitas est, & aëris immensitas peristylium, & cælestium orbium integumenta fornices amplissimi, & signorum varietas laquearia, & absidis quasi locum obtinet Regia immortalitatis Empyreum; vt certè non sine sublustri quadam vmbra veritatis antiquior Poësis decantauerit, Elementorum sedes quædam esse Templa Numinum augustissima. Verùm licet immensitate sua Mundum hunc vniuersum repleat Deus, & creatarum naturam rerum diuini splendore vultus ma-

maieſtatis ſuæ conſecret auguſtale, ſolum tamen hominem ſibi delegit peculiare ſacrarium in hoc Templo Vniuerſitatis immenſæ. Et quemadmodum in Hieroſolymitano quondam Templo velatum ſanctitatis intaminatæ conclaue conſtituit, & in illo Arcam fœderis, & ſuę notas beneficentiæ collocauit: ita in hac Mundi baſilica hominem poſuit, & in eo Dei capacem intelligentiam, in qua ſine velo, tenebrarumquè inuolucris explicaret affluentiam lucis, & opulentiam diuinitatis, & gloriæ.

Ipſe enim, qui fons eſt, & origo lucis æternæ, cuius vèl vmbra lucidiſſima eſt, in hominis intelligentia ſui imaginem ſtatuit; vt quando diuinam lucem clarè cognoſcere non valeret, quippè corporeo velamento, naturaliq; anguſtia obtenebratus: eam tamen per eius imaginem in ſemetipſo collocatam, arbitratu ſuo contemplaretur. Didicit propterea humanum ingenium in hac imagine tanquam in ſpeculo immenſas Domus Dei diuitias agnoſcere. Didicit admirabilia illa beatitatis arcana, quæ

non

non licet homini loqui, intueri. Didicit in ea considerare gentilitium quasi stemma Diuinitatis, quod lux, & caligo positis odijs in vnum coalescẽtes componunt. Amat siquidem Deus, quæ aduersantia sibi inuicem apparent suo veluti sinu fouere, & quicquid inest vtrisquè nitorum, expulsa fœditatis contagione, mirum in modum complecti; dum enim vnitatem amat, multitudinem non auersatur: cùm simplicitate plurimùm gaudet, tunc fœcunditate maxima delectatur: cùm se ipsum, suasquè de-

delicias contemplatur, sui fœcundus progenerat, sed nihil alienum à semetipso: cùm sese amat ardentissimè, sui amantissimus sese communicat. Est in tribus personis eadem diuinitas, sed non diuisa. Numerat in semetipsa, & Genitorem, & Prolem, & mutui amoris Spiritum, sed vna est, & integerrima. Hypostases inter sese distinctas habet, sed ipsa nullum in se noscit, admittitquè dissidium; Vna est, & omninò simplex essentiæ diuinæ perfectio; sed vnitate non sterili, quæ dum generat, multiplex non

cua-

euadit: & dum verè personas in ſeſe multiplicat, ſinceriſſimè ſimplex eſt. Tam vberem diuitiarum copiam ſuſpicata eſt Antiquitas in caligine, ſed non agnouit in luce; quippè inter tot Diuinitatis indagationes, inter tot ſuperſtitionum inuenta, & commentitia Numina, quæ ſibi propoſuit, ſummam, quam de Deo cognitionem aſſequuta fuit, Ignoti Dei veneratione terminauit. Nouit quidem vnum concedendum eſſe principium ſine principio, ex quo omnia ortum ſuum ducerent: nouit cæleſtium

orbium ordinationem, & harmoniam non nisi per quandam primam regulam temperandam: nouit telluris amœnitatem, tot florum varietate distinctam, totque frugum affluentia salutarem, licet quot annis deficientem, semper tamen spectabiliùs regerminantem, non nisi à quodam Sole, qui ab alio calorem, & lumen non mutuaretur, incessabile incrementum illud accipere: nouit demum ab effectibus, qui ex causis sibi inuicem ordinatis perpetuò emanant, ad causarum Causam tãdem deueniendum:

dum: ſed in huius primi principij determinatione, adeo diſcors, & ab ſe diſſidens fuit; vt ipſum Deum plures in partes diſtrahens, ac dilanians, omnem Diuinitatem, quæ Naturæ ſimplicitatẽ amat, penitus deſtruxerit, ac diſſipauerit. Verùm quid mirum, ſi de diuina ſubſtantia adeo malè ſenſerit gens illa cœca, auernalibus afflata præſtigijs, quæ monſtris horrendis, atquè portentis diuinum principatum tribuebat, quando ipſa quoquè Hebræorum natio religioſiſſima quondam, & Deo gratiſſima,

nunquam nisi per vmbram Triadis augustissimæ speciem aliquam longè prospexerit? Profusa in illos diuinæ Sapientiæ liberalitas planè fuit: sed adhuc oleum sui nominis ineffabilis omninò non effuderat in humanum genus. Venerabantur, sed cum velo Sancta Sanctorum. Susceperant Dei mysteria, sed in Arca conclusa. Affusam sibi diuinitatem senserant, sed in caligine, quæ Templum oppleuerat. Ipsi principes mortalium, prisceque religionis sanctissimi duces si quam trium hypostaseon cognitio-

tionem tradebant, adeò obſcura fuit, & indiſtincta, vt illius potius vmbram diffuſiſſe dicēdi ſint. Nobis parabatur plenitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Nobis meridiem lucis æternæ allaturus properabat Gygas ille cæleſtis, & mentium Sol. Nobis arcana diuinitatis diffractis planè cōpagibus laxanda erant. An quiſpiam hodierna luce dubitabit, viuum Dei ſacrariū in humana mente conſtructum, in qua maieſtas illa, & immenſitas perfectionis certiſſimo fidei lumine ritè adoratur?

Iam enim diuinæ liberalitatis beneficio humanum ingeniũ erectis prius ceruicibus id, quod supra ipsum est, auersatum, prouoluitur venerabundum ad pedes explicatæ Diuinitatis: fractam, atquè domitam illi submittit superbiam suam: prono rationis obsequio suammet intelligentiam offert in holocausto sincerissimę cõfessionis. Iam resonant in humanæ mentis Templo voces illæ supra omnes Musicorum cõcentus suauissimæ, quibus & Diuinę substantiæ Vnitas perfectissima, & Personarum

Trias

Trias distinctissima celebratur, & colitur. Vna est mentis, & oris conspiratio, qua publicè gloriamur, & fatemur, Deum Patrē ingenita mentis suæ fœcunditate eiusdem naturæ, perfectionis, atquè virtutis æqualem sibi Filium generare, & vtrumquè simul Amoris inexplicabilis incendio spirare Spiritum vtriquè parem in omnibus, eiusdemquè Diuinitatis omninò compotem. O summam erga nos diuinæ beneficentiæ largitatem! Verè suscepimus misericordiam tuam in medio Templi tui, hoc

est inter angustias mentis nostræ, quam tuum tibi sacrarium consecrasti, tuorumquè opulentia munerum locupletasti. Nostrum erit aram Diuinitatis, quam in mente gerimus, perpetuo laudum sacrificio venerari, fluxarum cogitationes rerum piaculares quasi victimas immolare, & quod in nobis Dei Templum est, inanitate depulsa; plenum Deo semper accuratissimè conseruare. Dixi.



PRO


PRO SOLEMNI

STVDIORVM

Romanæ Vniuersitatis Instauratione.

ORATIO

Habita in Ecclesia S. Eustachij Die 18. Octobris 1635.



LIberalium laudes disciplinarum, Patres Illustrissimi, Sapientissimi Professores, cęterique Auditores ornatissimi, compendio potius inuoluere, quàm

quàm oratorijs ornamentis euoluere, & temporis me iubent anguſtiæ, & amplitudo materiæ, & mea potiſſimum vberiori deſtituta ſuauitate Rhetoricæ facultatis infantia. Veſtram mea in dicendo breuitas patientiam deliniet: meam veſtra benignitas excuſabit inſcitiam.

Bonas artes nunquam ſatis benè laudatas ſi ſupremo tanquam ſciendi genere cõprehenſas exornem, nil niſi vulgare, auribuſquè veſtris indignum in medium proferatur neceſſe eſt, quòd nimirum

ſo-

ſola intelligendi vi ſeparemur à brutis : quòd eandem communem ſortiti ſimus cum Angelo : quòd cætera queque hominibus debeant hoc tributum, & ſolvant, vt cùm ipſa non cognoſcant, tranſmiſſis tamen imaginibus ſui cognoſcantur ab homine : quòd intima terræ viſcera, quamuis partium denſitate ſuperiorum ſenſus effugiant, & ſupremi, infimiquè cæleſtium orbium, quãuis infinito propè locorum ſpatio ab oculis disiuncti ſint, mentis tamen aciem præterire non poſſint. Vnum hic tamen

quàm oratorijs ornamentis euoluere, & temporis me iubent anguſtiæ, & amplitudo materiæ, & mea potiſſimum vberiori deſtituta ſuauitate Rhetoricæ facultatis infantia. Veſtram mea in dicendo breuitas patientiam deliniet: meam veſtra benignitas excuſabit inſcitiam.

Bonas artes nunquam ſatis benè laudatas ſi ſupremo tanquam ſciendi genere cõprehenſas exornem, nil niſi vulgare, auribuſquè veſtris indignum in medium proferatur neceſſe eſt, quòd nimirum

ſo-

ſola intelligendi vi ſeparemur à brutis : quòd eandem communem ſortiti ſimus cum Angelo : quòd cætera queque hominibus debeant hoc tributum, & ſolvant, vt cùm ipſa non cognoſcant, tranſmiſſis tamen imaginibus ſui cognoſcantur ab homine : quòd intima terræ viſcera, quamuis partium denſitate ſuperiorum ſenſus effugiant, & ſupremi, infimique cæleſtium orbium, quãuis infinito propè locorum ſpatio ab oculis disiuncti ſint, mentis tamen aciem præterire non poſſint. Vnum hic tamen

præ-

præcipuum, ac singulare, nec silentio inuoluendum proponitur; quod enim peculiarem sibi vendicet homo sciendi vim, à cæteris creatis rebus præterquam ab Angelo sola intelligendi facultate diuersus, magnum aliquid est, & præclarum, illamquè progenerat liberi potestatem arbitrij, ex qua mundi dominus faustissimis rerum omnium vniuersitatis acclamationibus salutatur: verùm quantò præclarius est, atquè admirabilius, quòd eandem communem habeat cum ipso Deo? vt mirum adeo non sit, quòd

sa-

ſapientiſſimus Seneca audaci quidem, ſed veriſimili nũcupatione animam appellauerit Deum corporis hoſpitatorem humani. Quin imò vt terminos vniuerſæ ſuperemus naturæ, non aliter quàm intelligendo, amandoquè ſpirantes diuinitatis imagines, & viua Numinis ſimulacra formamur; in prima enim illa cæli, terræquè pulcherrima deſignatione, atquè apparatu ſummus tãti ornatus molitor Deus inſpirauit in faciem hominis ſpiraculum vitæ, in eo diuinitatis ſinu præconceptum, quo æternus Pa-


rens

rens æqualem sibi Filium, generat, & quo ambo sempiterno amoris fœdere inuicem iuncti tertiam spirant diuinam Hypostasim, triplicemquè simul funiculum statuunt, qui nec hominum, nec supremorum celi spirituum dissolui potest ingenio. Idcirco enim cùm cæteris rebus creandis solum adhibitum fuisset vocis imperium, in homine faciendo arcanum initur Concilium Augustissimæ Triados, vt trium vnius naturæ Personarum consensu agnosceretur effectus, quarum viua futurus erat imago.

Si

Si quæ ſubijcerem in hoc propoſito, ſordeſcerent vt videtis, Auditores. Vos tamen ex hoc quaſi laudum ſemine inveſtros animos iacto facillimam de cætero coniecturam, & exaggerationē facere poteſtis ampliſſimam.

A communibus igitur ad ſingularia gradum fieri neceſſe eſt. Interpretatio linguarum loco inter artes vltimo contenta eſt; ſed quem cæteris liberalibus cedit, vindicat ſibi, ſi cum mechanicis conferatur. Clarè video veniſſe Vobis in mentem Babylonicam Turrim multiplici diſ-



dissonantium linguarum confusione disiectam, cælestemquè Hierusalem prodigiosa postmodum depluentium in igne linguarum coniuctione constructam; auferantur scilicet nationū omniū cōmercia, si de medio linguarum interpretatio tollatur. Vultis, & ab antiquato iam antiquitatis sepulcro senem illum venerabilem euocem, qui magnifico planè præconio tot iactabat esse sibi corda, quot linguas? verùm Ennius illiteratis ortus temporibus Mithridatē Regem agnouisse non potuit, duas & vi-

viginti linguas apprimè callentem, quot scilicet nationibus imperabat subiectis; vt eàdem lingua, redderetur responsum, qua fuisset oratum.

Interpretationem linguarum Rhetorica excipit, cordium Domina, affectionum Imperatrix, animorum Regina. Sed laudari satis dignè non potest, quæ formam ad cęterarum præstat ornamentum, & decus: eius tamen originem primoribus tantùm labijs attingam. Perpetuis ætatum omnium incrementis in tantam creuit ars Rheto-

rica

rica dignitatem, vt Cn. Pompeio bellatorum fortissimo Ciceronem inter Oratores maximum comparans verè non minus, quàm magnificè dixerit Martialis

Illud laurigeros ageres cùm læta triumphos:
Hoc tibi Roma caput cùm loquereris erat.

De sui tamen generis nobilitate, nescio quo fato, semper malè audiuit apud plerosquè; ad illum enim eius origo quadruplatorem reuocatur, qui parentibus hominum primis, an proditoribus! fraudolenta persuasit illecebra, vt po-

posteros omnes morsu vnius pomi morderet. Verùm longè altiùs petenda esse Rhetoricæ primordia Grȩcus ille me docet, qui hanc rerum Vniuersitatem diuini poëmatis, & orationis nuncupatione donauit. Negabit hoc quispiam, qui Mundum verbo effectum esse concedat? Sapiẽtissimè Ægyptiorum antiquitas, quæ literas rebus conscribebat; tot nimirum varietate, pulchritudine, magnitudine rerum delectare nos voluit summus Poëta, persuadere summus Orator, & nostri generis, & suæ

nobilitatem naturæ. Atquè vtinam benè perciperetur à nobis in occultissima rerum natura mutis quodamodo characteribus exarata diuinitas; certè, nequè esset cur perfecti Oratoris ideam à Cicerone flagitaremus, & postremum nostræ fabulæ actum in æternitate possemus felicitatis absoluere.

Supra Rethoricam Mathematica est, quæ magnorum instar fluminum exilibus, hoc est notissimis è principijs, tantis postmodum exurgit progressibus, vt plures in ramos vberrimos, & profun-

fundissimos per vniuersam rerum vniuersitatem se se diffundat. Astronomicis stellarum intimis immiscet se se recessibus, simulquè imperium, & famam non littoribus terræ, sed marginibus cæli concludit. Geometricis immensam ducit suæ gloriæ lineam, & quadratam figuram, hoc est firmissimum suæ laudis firmamentum in circulo totius Vniuersitatis demonstrat. Arithmeticis numeros connumerat omnes, sed amplissimam suorum decorum coronam nec vllo temporum spatio, nec ipsa po-

teſt æternitate complere. Muſicis harmonicam parit rerum omnium diſpoſitionem, in qua principem ſibi locum vt moderatrix adſcribit. Quid verò dicam de factis arte machinamentis, quibus ipſam ſuperat ars ingenioſa naturam? Cælum etiam in terris molita, & immenſas cæleſtium orbium circumferentias, inſuperabiles motus, inauditam velocitatem, oppoſitionem aſtrorum, & gradus, polorum ſitus, & vniuerſas deniquè Cæli leges anguſtiſsimo globo coarctat.

Ad

Ad Logicam nunc venio, artem artium, scientiarum scientiam, ordinis parentem, perspicuitatis effectricẽ, veritatis magistram. Hoc magnetico lapide nauigantia per immensum rerum cognoscendarum oceanum ingenia veritatis diriguntur ad portum. Hoc Philosophico lapide factitium sapientiæ aurum feliciùs chimico fabricatur. Hoc lydio lapide idem aurum certissimo experimẽto probatur. Nequè nobiliores tantùm disciplinæ, sed mechanicæ etiã artes Logicæ supplicant, sine qua su-

ſubiectam materiam forma neſciunt animare perfecta; Logica enim ad iuuandos etiam mechanicos abſque maieſtatis dedecore humaniſſimè ſe demittit, primam rerum omnium cauſam ad viuum adſimulans, quæ frumenti granum ſimul cum formica portare non minus dignatur, quàm ingentes hoſtium copias fortiſſimis cum bellatoribus fundere.

Sequuntur modò Phyſica, & Methaphyſica, quæ cauſarum è viſceribus mirabiles aucupantur effectus, & in ipſis ef-

fe-

ſectibus, expreſſa quaſi in imagine, cauſas intuentur, earumquè rationes. Vitam ſibi nominis immortalem in verſando rerum interitu parant, & naturæ viribus naturam exuperant, dum è rerum agitatione immobilitatem primę Cauſę pernoſcunt.

Moralem verò Philoſophiam quibus ornem præconijs? citiùs commotas exęſtuantis oceani procellas, citiùs furentis impetum aquilonis compeſcam, quàm innumeras Ethicæ diſciplinæ laudes exæquem. Acquirat mihi fidem antiquitas, quæ

medullam veritatis ſub cortice fabularum cælauit. Neptunus enim, & Iuno (vt illi aſſerebant) penes quos maris, atque aëris imperium eſt, excitæ quidem vim tempeſtatis, & ventorum fremitum coërcere poterant: ſed elatos non nouerant ſuperbiæ ſpiritus, & curarum ancipites æſtus placare. Hoc vnum moralis præſtat Philoſophia, quæ nec oceani ſua decora, nec aëris ambitu circumſcribit.

Sed Medicina inſtat, reducendis in mutuam gratiam humoribus opportuna.

na. Huius necessitatem vel inuiti sentimus, dum infinitis malorum generibus ipsi morti proludimus. Diuinum esse inuentum Aesculapius nos admonet, à veteribus superstitiosis commentitia diuinitate donatus. Et profecto mortis in sinu vitam exceptam inducto quasi nouo spiritu animare, deficientem animam, & vincula iam perrupturam fortiùs vnire corpori, atquè ad intermissa sensuum munera reuocare, diuinum quiddam esse quis neget?

De Vtriusque Iuris pe-

ritia superuacaneum est, & periculosum apud Auditores Vtriusquè Iuris peritissimos dicere. Sed quod ego taceo, clamant Oppida, clamant Ciuitates, clamant Prouinciæ, clamant Regna, clamant Imperia, quæ in huius solummodo disciplinæ soliditate persistunt.

Theologia nunc me rapit extra omnem ingenij aleam ad augustissimum illud diuinitatis Conclaue, vbi perfectissimæ Monadi perfectissima respondet Trias: vbi asseruantur Thesauri diuitiarũ sapientiæ, & scientiæ Dei: vbi

audiuntur arcana verba, quæ non licet homini loqui. Hìc enim vero ad cetera quæquè erectissimam, victam declinetis mentis aciem necesse est, atquè eò ipso quòd sapientiam profitemini, ignorare fateamini admiratores potius Maiestatis, quā scrutatores. Quod tamen qualicumquè obscuritate, quasi per nubem, aut speculum in enigmate videatis, à Theologia est, quæ fide immobiliter innixa, humanam rationē ad obsequium diuinæ veracitatis inclinat.

Vos deniquè compello,

nobilissimi Adolescentes, à quibus purpureo iuuentutis flore vernantibus publica spes vberem fructuũ maturitatem expectat. Si magnanimi spiritus vos accendunt: si publica vos mouet vtilitas: si priuatum inuitat emolumentũ: si aliorũ incitamini exemplo: si Maiorum auctoritatibus creditis: si rerum publicarum instituta probatis: si parentibus quod debetis vultis audire, en regiam vobis viam sternũt sapiẽtissimi Doctores, quorum in explicando facilitas cum subtilitate, cum claritate breuitas ita con-

tendunt, vt nulla superatam se velit.

Sub auspicijs potissimū tuis, Illustrissime Antoni, huius Archigymnasij Rector vigilantissime, à quo susceptum regendi munus plus accipit dignitatis, quàm tribuat: cuius præclaram familiam inter primarias Ferraria numerat illustrium Virorum procreatricem, ex qua præsertim Antonius de Montecatino subtilissimus Philosophus, qui propter maximam in gerendis negotijs dexteritatem maximis functus est domi, forisquè muneribus. Ab eo,

quem

quem nomine refers, vir- virtutibus ęmulаris, nobilitatem accepisse te puderet, nisi maioribus illam tuæ gloriæ splendoribus illustrares.

Ad vos nunc redeo pręstantissimi Iuuenes. Peregrinatus fuit in Ægyptum Plato: proiecit in mare ingentem auri vim Crates, & voluntarius ipse sibi eruit oculos Democritus, additurus animo quos corpori detrahebat, & clariori mentis luce luminis pensaturus orbitatem effossi: sapientiæ pulchritudinem tanti fecit, vt viliores habuerit

ip-

ipsas oculorum pupillas! vos minimo labori parcetis? nebulam offundetis nobilitati vestræ? naturamquè ipsam, quæ singulari vos ornauit ingenio, degeneri vilitate fraudabitis? nũquid mercedem vestri laboris desperatis? ipsa sibi merces virtus est, quæ se contenta extra sese nil quærit. Si mercedi tamen, & præmijs inhiatis, iam spe prę-cipere potestis, quod vobis in votis est in huius ætatis felicitate, in qua rerum habenę Sapientibus in manu sunt, qui in alijs non æstimare non possunt

quæ

quæ æſtimanda in ſe ipſis agnoſcunt. Inſuper regnatricium Apum propria liberalitas eſt, quæ alijs conſueuerunt non minus mellificare, quàm ſibi, atquè vt magis peculiari nomine exigi poſſet quod ipſæ vobis offerunt vltrò, præmium ſe vobis fatentur ex liberalitate debere titulo patrocinij, quod gerit Romanæ Vniuerſitatis Tutelaris Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Barberinus.

Quòd ſi tot momenta rationum nihili apud vos ſunt, & me hortantem pro tempore ſecretà deſpicientià

tià irridetis, non multos post annos hanc meam causam vestra pœnitentia perorabit. Dixi.



PRO

PRO SOLEMNI

STVDIORVM

Romanæ Vniuersitatis Instauratione.

ORATIO

Habita in Ecclesia S. Eustachij
Die 18.*Octobris* 1640.



SOlemnis hic dies prudenti Maiorum institutione immortalibus sapientię laudibus consecratus Illustrissimi Patres, Professores clarissimi, cę-

teriquè otnatissimi Auditores, insanam ignari vulgi temeritatem in mentem redigit mihi, quæ in infinito stultorum numero vsque adeo percrebuit, vt non modò sapientiæ decus, & honestatem funditus, penitusquè delere: verùm etiam de proprijs eiusdem prærogatiuis coronam sibi contexere impudentissima vsurpatione contendat. Quapropter ijsdem illis argumentis, quibus in literas abutuntur, stolidam hanc insipientium audaciam hac mea oratione coërcere constituo, vt vindicatis à vuulgi ca-

calumnia disciplinis , integer , purusquè sapientię splendor propensis hominum fulgeat , & exardescat in animis.

Duobus , inuicemque oppositis rationũ momentis doctrinas deprimit , ignorantiam extollit indoctorum hominum natio , vtilitate videlicet , cuius plenam ignorantiam deprędicant : & detrimentis , quæ à sapientia oriri mentiuntur ; atque ita prorsus mente secum ipsi peruoluere mihi videntur . Sapientiam malorum omnium vberrimam scaturiginem consectari quis

ve-

velit ? valetudinis illa pernicies ſtomachi vires infirmat, cerebrum agitat, incautaſquè ſtudioſorum mentes perpetuo damnat delirio . Illa paupertatis comes, ſuperbiæ ſemen, aſſentationis mater , diſcordias excitat immortales non viuentium modò, ſed nondum etiam natorum morte ſedandas. Hinc originem inuidia ducit , hinc timor , hinc aliorum contemptus , hinc nimia ſui præſumptio . Cum illa naſcuntur rixæ , creſcunt æmulationes , ſeneſcunt odia . Hæc fucum facientibus argumentis fraudis de-

defendendæ magiſtra eſt, mendacium coloribus veritatis adornat, alieni vſurpandi viam excogitat, æmulos ad præcipitium callida vafricie deducit. Quot propter illam euerſę Ciuitates? Quot Reſpublicę labefactatę? quot Imperia deleta? mendax hęc mentium faſcinatrix quæ damna, quas miſerias non affert? O' felices, nimiumquè felices mortales omnes, ſi primos noſtri generis progenitores, anproditores! ſciendi vana curioſitas non cœpiſſet, non enim noſtræ ruinæ authores fuiſſent peſſimi illecebra

bra oratoris decepti, quæ ſcientiam boni, & mali promittens, illos, & poſteritatem vno eodemque perdidit caſu. Quis ſcit, an in pęnam temeritatis illius in hanc rerum Vniuerſitatem fuerint literæ tot malorum germinatrices inductæ? Quoties infelici ſapientiæ extremum eſt intentatum exitium? quoties publico, ſolemnique Imperatorum edicto, vtpote communis Reipublicæ peſtis, perniciosumquè venenum extra Vrbem exulauit? Et profecto miſeras, infelicesquè Ciuitates, vbi literæ regnant?

gnant. quis non videt, typum illas esse confusionis verissimum, symbolum miseriarum elegātissimum, malorum omnium omni ex parte absolutam ideam. At contra in regno inscitiæ perpetua pax absque vllo dissensionum periculo floret; indoctorum enim inter se æqualitas, vnumquemquè sua contentum insipientia sine prælationis ambitione in altissimo quietis, & tranquillitatis portu recondit. Quo bono inter homines fruimur, quod ab inscitia non emanet? Illa fortunæ comes, diuitiarum dispensatrix, la-

laborum inimica, felicitatis mater. Quid amplius? hominis adeo propria est ignorantia, vt nascentibus adsit obstetrix, crescentibus nutrix, ab adultis non discedat, imo cum lacte ipso in hominum cordibus fusa adeò cum humana natura commisceatur, vt nullo vnquam studio, nullis laboribus, nullis vigilijs aboleri penitus possit. Venenata igitur radix malorum omnium sapientia perenni obliuione damnetur, & inscitiæ bonorum omnium origini honores decernantur, & laudes.

Videtis, Auditores, quibus fraudibus hominũ mentes confundere, quibus illecebris consopire, quibus præstigijs fascinare temeraria tentet turba stultorum. Sed ò clarissimam sapientiæ lucem! O' splendorum eius immortalium efficacissimam vim, ad cuius radios manifestata veritate inanes mẽdaciorum vmbræ è vestigio dissipantur! ò perfidam ignorantiam, quæ incautorum oculos falsa vtilitatis specie perstringens, à nobilissima sapientiæ regia diuertis! fraudolentam Syrenem, quæ men-

mentibus fictæ lenocinio quietis adblandiens, non expiãdi dedecoris ad ſcopulum allidis infamem: turpiſſimum tenebrarum, partum, quæ ſectarios tuos æterna obliuionis pęna damnatos de lucidiſſimæ ſolio immortalitatis obliteras: deformem animorum labem, quæ pulcherrimum ſupremi artificis opus deturpas: ſordidam otij filiam, & genitricem, quæ virtutibus inimica communem quietem perturbas; exlex iniuſtitiæ magiſtra, iuuentutis infamia, ſenectutis dedecus, errorum origo,



fons omnium abominandus vitiorum! O' cęcum, & omnis prorſus rationis expertem, qui vera negligit, ac ſolida ſapientiæ bona, quæ à diuinæ regia felicitatis clariſſimos traxit natales! Omnipotens Cæleſtis Architecti dextera infinità ſapientià cuncta hæc inferiora formauit, inter quę quin homini primæ debeantur, nullus dubitationi locus relinquitur. Hunç autem corpore, ſpirituquè mirè compactum tam perfecto fecerat ordine, vt ſeruata partium inter ſe poteſtate, ac imperio, abſolutiſſi-

mam virtutum omnium harmoniam in ęternitatem productura fuiſſent, niſi primæ repertor, ſecundæquè ſuaſor diſcordię in perniciem poſterorum turbaſſet. Hunc rationis participem fecerat Deus inæſtimabili ſapientiæ dono ditatum; qua ſuper omnia hęc inferiora ſublatus, princeps illorũ, ac dominus recognoſcitur. Quotuſquiſquè eſt, quem prętereat; ſpiraculum illud, quo in animam viuentem factus eſt homo, diuinitatis, vt ita dicam eſſe particulam, ab illo ſcilicet ſinu prodeuntem, quo

æternus Genitor Verbum, increatam Sapientiam, æqualem ſibi Filium æternè generat. O quàm ſublime ad principium ortus reuocat ſuos humana ſapientia! Ethnici ipſi, quibus hac in re quos luculentiores adducam teſtes non video, cum natam è commentitij deorum regis cerebro Palladem, hoc eſt ſapientiam, ſplendido mendacio finxiſſent, eidem aras ſtatuerunt, erectiſquè templis, ſacrificijſquè decretis, illam omnis venerationis genere coluerunt. Ecquid vnquã huic ſimile in ſui teſtifica-
tio-

tionem nobilitatis addu-
cat inſcitia, quæ cæcis te-
nebrarum antris, vnde in-
fauſtos habuit natales, cū
inſipiente illo, qui in cor-
de ſuo dixit, non eſt Deus,
maximis deuota ſuppli-
cijs, mœrore conficitur
ſempiterno. Et ſane tam
iniqua de re literaria cogi-
tatio non aliunde ſuſcitata
eſt, quàm ab illo dracone,
qui ſuperbiæ, liuoriſquè
ſtimulis ad intimas vſquè
medullas exagitatus, con-
tra rerum omnium guber-
natricem ſapientiam ere-
xit ſeſe, & à ſuprema Cœ-
li circumferentia tertiam
partem ſtellarum caudà

traxit in centrum. Inuidum enim vulgus sublimiorem Sapientum dignitatem obliquis oculis intuens, disciplinas ideo contemnendas putat, quia illis præditum se videt non esse, & ne cæteris inferius videatur, quos non æstimare non potest, arroganti petulantia contemnit. Si damnosa est Sapientia, cur ad Sapientum consilia recurritur? si vilis, cur à Principibus tanti penditur? si inutilis, cur ad gubernandas Ciuitates literarum periti mittuntur? Quòd si intelligere, hominem distinguit à brutis, igna-

ignarorum turba, quæ nil sapit, nihil ferè à feris animantibus diuersum habeat necesse est: & rerum cognitione præstantes non ad supremos tantùm Cæli spiritus propiùs accedunt, sed hac diuinæ participatione bonitatis ipsum attingunt Deum, in quo esse, ac intelligere idem est. Quemadmodum igitur tenebras, ac horrorem diffusus à sole radius non generat, sic malum sapientia in cordibus nostris à diuina bonitate diffusa parturire non potest: sed effectus producit similes primo, à quo deriuatur

fonte, diuinos. Mentem hominis in primigenia suorum organorum constitutione tabulam rasam appellauit Philosophus. Numquid egregijs characteribus, hoc est integris rerum, sincerisquè imaginibus conscribenda non erit? Quod si probè, perfectèquè conscribatur, nullæ antiquorum pictorum tabulæ in comparationem huius venire possunt; cum enim insitum, innatumquè sit animis nostris desiderium sciendi, nullaquè sit materia, quæ suadente natura formę cuiuspiam coniunctionem de-

depereat, quæ poſſeſſione eiuſdem pulchrior, perfectiorquè non fiat, ſi anima corporatis omnibus longè nobilior penitiſſimo naturæ ſenſu ad ſcientiam fertur, pulcherrimum quiddam, ac præſtantiſſimum eſt ſcientia, quæ ſemet animæ iungens, decorare illam complexibus ſuis, & formoſiorem facere poſſit. Quid hìc ego ſubtexam? quàm viuidus de ſapiētia ſcintillet ignis ad accendendum virtutum amores, quàm ſalutaris exundet aqua ad mitigandos efferueſcentium ſupra rationem affectuum

periculosos ardores? Quid referã? quã æquabilitatẽ in secũdis; quã generet in aduersis rebus cõstãtiam? Idcirco scilicet apud Ægyptios illustri hieroglyphico formosa virgo fingebatur, alatis humeris, comisquè ad auras vndantibus, quadrato super saxo consistens; in hanc enim seù fatum, seù fortuna volubili globo insistens nihil iuris habet omnino, cum sapiens non suam modò sibi fabricetur fortunam: sed fatalibus etiam sideribus dominetur. Verùm quod clarius argumentum de sapientiæ dignitate af-
ferre

ferre vobis in medium possim, quàm Veterum grauissimam auctoritatem, qui Sapientibus non statuas modò collocarunt: sed honores etiam amplissimos, ac planè diuinos constituerunt. Quis apud Atheniēses Demetrio Phalereo trecentas, & sexaginta statuas erexit? Sapientia. Quis Marco Antonio suasit, vt allatum à quatuor Vrbibus tributum Anaxenori daret? Sapientia. Quis apud Zenonem Athenarum claues deposuit? quis eumdem aurea decorauit corona? quis erecto ęreo simulacro illu-

illustrauit ? Sapientia. Quid plura ? Nostis Cn. illum Pompeium Virum, ad omnia summa natum, qui consilio, virtute prudentia ad miraculum vsquè anteuertit ætatem, cui rerum summa Romanarum non dum adolescenti summo omnium consensu delata est, cui præter sęculorum omnium cõsuctudinem Equiti Romano triumphare concessum est, qui cum lege Consulatum capere prohiberetur, quia per alios dignitatis gradus euectus non fuerat, Consul tamen viuis Patrum, Populiquè vo-

vocibus est renunciatus: hic, inquam, summus Imperator, quasi Sapientibus inferiorem se fateretur, Possidonij domum intraturus, ianuas, quod moris erat, percutere lictorem vetuit, & fasces illos, quibus Orientis, Occidentisquè nationes omnes, & Reges subijciebantur, ad fores Philosophi demittendos mandauit. Quod si mentis aciem ad hæc tempora conuertamus, nunquam aliàs honoratam magis, elatamquè sapientiam intelligemus. Hæc purpuras texuisse, hæc infulas ornasse, hæc coronas


nas solidasse cernetur. Meritò igitur communi omniũ acclamatione compendium bonorum omniũ sapientia vocata est. Meritò nobilissimus ille Vates, qui vtriusquè linguæ carmina doctus, sapientissimus qui sui est appellatus, Franciscum aio Petrarcam, ex nulla re maiorem se voluptatis fructũ percipere asseuerabat, quàm ex discendo.

Eia igitur Iuuenes generosi; Si mundi Regina est sapientia, si animorum pulchritudo, si familiarum decus, affectuum moderatrix, honorum mater, infir-

firmorum tutamen, Principum ornamentum: si desiderium sapientiæ innatum cordibus nostris nobiscum crescit, adolescit nobiscum, turpi desidię veterno ne torpeatis; paruus namquè labor immensum felicitatis momentum efficiet. Non enim mauultis opinor in vita hac quasi in quadam viui hominis sepultura, vt aiebat Cicero, innumerabili cum vulgo tanquam muta pecora numerum facere, quàm intelligendo, sapiendoquè non ab ignorantiæ tantùm sepulchro vosmet ipsos excitare, quàm vitam alijs

etiam, & salutem afferre. Respicite hanc sapientissimam Professorum coronam, qui acceptam ab alijs doctrinam communicare vobis auidissimè concupiscunt. Eosdem accipite Duces, quos nunc hortatores habetis. Eorumdem intuemini exemplum, quos admiramini, nobilissimorum Rectorum, quibus antiquius nihil est, quàm vt Iuuenes liberalibus disciplinis imbuendos omni prorsus studio contendant. Fruimini tandem aurea ætatis huius felicitate, qua cum rerum habenę Sapientibus in manu
sint,

ſint, ambigendum non eſt quin magnifaciāt in alijs, quæ maximi facienda in ſe ipſis agnoſcunt. Dixi.



DE

DE LAVDIBVS
LEONIS DECIMI
PONT. MAX.

Romani Archigymnaſij Reſtitutoris.

ORATIO

Habita in Sacello eiuſdem Archigymnasij Inter anniuerſarias eiuſdem Pontificis exequias Die 17. Februarij 1640.

IVre optimo Leonis Decimi liberaliſſimi Prin-

cipis immortali memoriæ; cuius in humanum genus beneficio nullū vacat momentum, hanc ſolemnem anni particulā datis, Illuſtriſſimi Patres, ſapientiſſimi Profeſſores, vt anniuerſaria hac, qua parentem beneficentiſſimū proſequimini, funeris pompa, Pontificiam illā dexteram, adhuc Chriſtiano generi in ampliſſimi huius Archigymnaſij reſtitutione benedicentem, & omnis ętas agnoſcat, & gratiſſimo veneretur obſequio. Quare conſentaneū orationi meæ argumentum ſtatuero, ſi hac ipſa Archigymnaſij hu-

huius gloriosissima restitutione, ac penè dixerim fundatione inter optimi Pontificis egregiè res gestas nullam fuisse præclariorem effecero.

Nihil non magnum, non excellens, non singulare, non admirandum in Leone Decimo fuit, cuius virtutum ad inuicem comparationem si facias, quam cæteris præponas, nullam prorsus inuenies: sed arctissimis quibusdam vinculis adeo pari inter se coniunctione vinctas, connexasquè consideres, vt maximi Principis excelso animo immortalem de se te-

texentes coronam, ſplendorem ſibi mutuum amica quadam, ac liberali compenſatione ſuppeditent. Magnitudo animi maxima, ſed ſingulari in rebus aduerſis patientia maior: ſolertia rerum agendarum ſagaciſſima, ſed charitatis præceptricis perpetuo documento ſagacior: generoſa rerum omnium deſpicientia mirabilis, ſed incredibili liberalitate mirabilior: maieſtas in dictis, factiſquè grauiſſima, ſed vt alliceret, non terreret, incomparabili iuncta clementiæ. Harum autem virtutum quos non percepit

pit fructus Christiana Respublica, postquam in supremæ dignitatis fastigio tanquam in suo lumine collocatas aspexit, admirata est, adorauit? Tunc enim verò celsissimus ille animus vastissimi capax imperij magnitudini suæ parem nactus prouinciam, talem se præbuit; qualem communis omnium expectatio conceperat. Verùm dum ad huius Archigymnasij reparationem mentem, cogitationemquè conuertit; tunc verè vt nunquam aliàs dignissimum se Dei Vicarium omni procul dubio præsetulit;

tulit; scopus enim, quo tam excelsa cogitatio collineauit, non alius fuit, quàm vniuersæ salus; felicitasquè Reipublicæ, cuius instrumentum potissimum Iuris, doctrinarumquè cognitionẽ esse Princeps prudentissimus norat.

Quatuor egregia facta Optimi Pontificis præter cætera penè infinita historiarum monumentis commendata comperimus, quę principem facilè locum sibi vendicant. Magnificentissimum apparatum, quo Lateranensem Ecclesiam Summus Pastor ele-

ctus adijt: Lateranensis Concilij felicissimam absolutionẽ: triginta vniusquè insuper Purpuratorum Patrum vnico delectu promulgationem: & huius Archigymnasij amplissimam restitutionem; sed cæteris hoc vltimum opus longè præclarius facta comparatione elucescet.

Solemnis pompa, qua ad supremum Ecclesiæ Sacerdotium euectus Leo ad Basilicam Lateranensem perrexit, basilico verè apparatu, regioquè fuit tam insignis spectaculo, vt & post Gothorum tempora nulla

nulla fuerit magnificentior, & centum aureorum millibus sparsa per publicas regionum vias profusissimè pecunia constitisse de Quæstorum testificatione narretur. Verùm vt iucunditatem vniuersis, admirationemquè pepererit, paucis nihilominus profuisse breuissimo vnius diei interuallo per'acta: augustissimi momentaneam speciem triumphi intuentium oculis dedit: animos in spem Pontificiæ liberalitatis euexit, nobilium magnanimi Principis gestorum illustre quoddam,

eximiumquè præsagium. At huius Archigymnasij restitutio solidum statuit publicæ felicitatis fundamentum, non vnius diei rapidissima fuga euanescens, sed labentium volubilitate seculorum immobile: non præsentibus profuturum tantùm, sed posteris: non paucorum vtilitatem respiciens, sed plerorumquè, sed vniuersorum.

Verùm fortassis Lateranensis Concilij absolutio gloriosior longè fuerit, & vtilior, quæ nefarias videlicet hæresũ pestes euerterit, schismaticiquè conci-

ciliabuli prophanas reliquias aboleuerit prorsus, egregium certè, & dignissimum Pontifice facinus! attamen eius gloriam cum alijs Pontificibus habet communem. Alius cœpit, alius prosequutus est, ipse perfecit: partam verò de hoc Archigymnasio restaurando laudem qui cum partiatur non habet. Ipse concepit, ipse statuit, ipse inchoauit, ipse deniquè absoluit. Doctrinarum, ac disciplinarum familiam vniuersam æquo diutiùs exulantem in Vrbem quasi postliminio reduxit, & ingentium præmiorum inuita-

tamentis amplissimis in hac rerum domina Vrbe, vnde Mundus vniuersus accipit leges, sedem figere permansuram suasit, iussit, coëgit.

Fateor triginta & vnius Virorum in augustissimum Purpuratorũ Patrum Senatum cooptationem gloriosissimam, & memoria seculorum omnium inauditam fuisse. O' verè iucundissimam illam diem, quæ tot recentium Purpurarum splẽdoribus clariùs, quàm luce Solis effulsit, quas cùm acuta mentis acie singillatim conspiceres, tot tibi Soles intueri vi-

visus esses, nisi cum ipso, à quo lucem hauserant, contulisses Leone. At caducus purpuræ splendor in occasum communis mortis demersus, & si in egregijs rerum gestarum monumẽtis quadam quasi in vmbra posteris elucescat: intermoritur tamen, vitalisquè caloris, ac luminis gratissimum fructum auferens, admirationem, lacrimas, desiderium relinquit. O Leonis prudentiam! O animi celsitudinem incomparabilem! Sapientissimi Principis in hoc Archigymnasio statuendo ea mens fuit, vt in

hoc veluti Purpuratorum, numquid nõ etiam Pontificum Seminario, & Populus, & futurus quisquè Princeps dignissimos haberet viros, quos morientibus Patribus successores deligerent; vt propterea tanto magis optimo Principi Christiana debeat Respublica, quòd singulari cauerit prouidentia, vt qui dignè ad egregios honorum gradus extollerentur, in promptu maximè essent: & quòd in præclaris posterorum gestis partem ipse suo iure vendicauerit, quòd plerosquè ad amplissimum honorem

voca-

vocare illi non possent, nisi dignos prius ipse effecisset.

Sed interiùs quædam, quasi in adyta huius eximij operis penetrem sinite Auditores humanissimi; quamuis enim hæc amplissima sint, & gloriosissima, gloriosiora fient, & ampliora contemplantibus animis, si penitiùs introspiciatur. Quod enim initio dixeram, adeo felicem voluit totam facere hoc potissimum instrumento Rempublicam prudentissimus Princeps, vt nullam Ciuitatem, nullum oppidum, nullam fa-

miliam, nullum denique, caput fructus huius operis præteriret vberrimus.

Tunc quæpiam legibus optimis sancita Respublica, tranquilla, felix, florentissima est, quando eædem artes, quibus tranquillitas, & splendor efficitur, inuiolabili iure seruantur; quod & antiquorum, & recentiorum omnium consensu ita ratum, firmatumquè est, vt longè iustiùs legislatoribus ipsis fundatoris nomen debeatur, quàm primis ciuitatum, oppidorumquè structoribus. Sed esto. Sint sanctissima legum iura, di-

tinius nil excogitari possit, quid Reipublicæ proderunt, si ignorentur? sint cœmenta, quibus securitas, pax, amplitudo Reipublicæ fabricatur: sed iacebunt neglecta, sparsa, confusa, nisi quispiam prouidus ædificator hic erigat in columnas, ibi solidet in parietes, ibi substollat in fornices, ibi ruinam minitantia confulciat. Ponite ante oculos vestros quæso, Auditores, ciuitatem, aut oppidum, vbi legum, & disciplinarum ignoratio triumphet, ò quàm viuam contemplabimini speciem antiqui-

illius chaos, indigestæquè confusionis, quod vt in ordinem redigeretur, & formam, infinita sapientia opus fuit. Videbitis ciuium intestinas inter se dissensiones sine lege bacchantes, in honoribus distribuẽdis inæqualitatem, munerum sine meritis ambitum, publicæ pacis perturbationem, pupillos, viduas, pauperes per vim summam oppressos, facinorosorum licentiam, bonorum metum, iuuenum audaciam, senum desperationem, regiæ maiestatis contemptum, ac vt vno verbo complectar omnia,
dini-

diuinorum æquè, ac humanorum iurium sacrilegam conculcationem. O verè orbatam oculis Rempublicam, quæ legum, ac doctrinarum ignoratione laborantibus gerenda traditur! dum à periculis, quæ impendent, quo pacto caueat non videt, quid nisi in præceps vertatur? Tu Principum prouidentissime Leo humanos omnes apices prætergressus, ita egregio hoc facto Rempublicam ad supremi conditoris exemplar efformare contendisti, vt dum ad ciuitatum, oppidorumquè gubernacula

non nisi qui sapientes ab hoc Archigymnasio forent, admouerentur, & ciuium dissensiones æquissimis conditionibus componerentur, & æquitas in partiendis honorum decoramentis seruaretur, & pacis perpetuus vigeret, ac tranquillissimus tenor, & facinorosis interdiceretur licentia, & bonorum securitas pareretur, & iuuenes in officio continerentur, & debitus senectuti impenderetur honos; nec maiestas regia læderetur, nec humanis, aut diuinis legibus sacrilegus quispiam illuderet. Querun-

runtur Ciuitates, quod ſapientibus careant Gubernatoribus? factum eſt prudentia Leonis, vt ſapientiſſimos habeat. Queruntur ægri ſe medici inſipientis conſilio, aut ſapientis inopia perire? in Leonis laudes profundũtur, qui eximijs medicinæ profeſſoribus, vndequaquè ingenti præmiorum pollicitatione euocatis, curandis corporibus Aeſculapios peperit. Queruntur pauperes ſe diuitum iniurijs peſſundatos? viduæ ſe potentiorum calumnijs oppreſſas? pupilli ſe facinoroſorum impietate

tate in miſerias delapſos? gratias habeant Parenti optimo Leoni, qui defendendis egenis, curandis viduis, vindicandis pupillis tot deſtinauit patronos, quot ex hac doctiſſima Academia bonis artibus imbutos æquitatis defenſores, tutoreſquè conſtituit. Quid hìc ego commemorem ex alijs liberalibus diſciplinis, quarum hìc conſummata traditur, ac exquiſita doctrina, quos vberrimos decerpat fructus gentium communio, & priuata quæquè familia? quot pauperrimæ domus hoc vno littera-

rum

rum adiumento ditatæ? quot ignobiles his vnis artibus nobilitatæ? quot aut maiorum culpa, aut fortunæ acerbitate in miserias maximas incidissent, nisi hoc vno fulcimento sustentarentur? O Principem immortaliter liberalem, cuius gloriam nulla conticescet ætas, nulli posterorum tacebũt! magnificum sanè, & antiquorum sumptuosis arcubus longè luculẽtius monumentum tuæ gloriæ erexisti, dum perpetuum hoc Sapiẽtiæ Amphitheatrum, superbiẽtis architecturæ prodigium publicæ
com-

commoditati restituisti; ybi quot Rectores, tot spirantia tuarum virtutum exemplaria: quot Professores, tot insignes tuarum laudum praecones: quot discipuli, tot animata tuae liberalitatis conspiciuntur argumenta.

Ecquod alterum Leonis opus, Auditores, licet singulare, licet eximium cum hoc comparandum censebitis? reliqua praeterierunt, hoc durat; nunquam non duraturum, si Deus Optimus Maximus tales imposterum nobis Principes dabit, qualem suspeximus Leonem, &

qua-

qualem Vrbanum Octauum Pontificem doctissimum his temporibus diuina tribuit benignitas, qui Reipublicæ seruator, ac parens hoc non amplificare Archigymnasium, non potuit, vnde priuati cuiusquè hominis splendor, familiarum ornamentum, ciuitatum salus, populorum tranquillitas, totius deniquè Regni securitas, ac felicitas nascitur. Dixi.



DE LAVDIBVS

LEONIS DECIMI

PONT. MAX.

Romani Archigymnasij Restitutoris.

ORATIO

Habita in Sacello eiusdem Archigymnasij Inter anniuersarias eiusdem Pontificis exequias Die 9. Februarij 1646.

AEquissimo sanè iure Leoni Decimo Romani

mani huius Archigymnasij Restitutori liberalissimo parentalia quotannis instaurari, eximiaquè laudatricis eloquentiæ pompa Pontificem sempiternæ recordatione dignissimum exornari iubetis, Amplissimi Patres, Sapientissimi Professores; nimirum vt pietatem animi vestri gratissimi posteritas omnis accipiat, debitum verò Pontificis Optimi Maximi magnificentiæ præconium ætas mortalium nulla conticescat. Si enim in mentibus ad ciuilium officiorum normam exactis beneficij quamuis multò an-

te præteriti gratiam esse decet immortalem: quantò æquiùs in cordibus omnium, ad quos peruenit, æterna non delendæ inscriptionis consecratione sculpendum est beneficium illud propè diuinum, quod non ab origine modò vetustissimum, sed à recenti, perenniquè vtilitatis fluxu recentissimum appellari par est. Quapropter quamuis Capitolium ingressus, in subiectaquè non minus epigraphe, quàm in erecta, statua Leonem intuitus, grauissimum Senatus, Populiquè Romani iudicium
non

non potuerim non admirari: cum tamen oratio mea exigui temporis angustijs, quodam veluti cancello coërcita, vberrimos laudationum campos excurrere nequaquã possit, Vobisquè recepti beneficij recordationem iucundissimam fore sentirẽ, exornaturo mihi Leonem ex huius Archigymnasij limine pedem efferendum esse non censui; cùm præsertim, tantam hic reperiam amplificandi, exaggerandiquè materiam, vt immensum aperiri opus necesse esset, si sapientissimæ huius molis,

quam

quam prudentia opifex excogitauit, effectrix liberalitas extruxit; lapidem omnem ingenio mouere vellem.

Et quidem summa omnia in Leone fuisse, generositatem natalium, institutionem sanctissimam; primos honores ante ætatem habitos, non tamen ante virtutem, liberalitatem planè incredibilem, prudentiam singularem, magnitudinem animi humana maiorem, in aduersis rebus constantiam, æquanimitatem in prosperis, neque ipsa vnquam inuidia reuocauit in dubium.

bium. Verùm cum bonis artibus excitandis, huiusquè Academiæ immutando squalori cogitationem adiecit, dum conquisitos vndique sapientissimos viros ad informandam liberalibus disciplinis iuuentutem, liberalitatis suæ stipendiarios effecit, se ipso maior ad prouidentissimum Deum expressione quadam mirabili propiùs accessit; Deus enim Optimus Maximus dum fontem luminis, mundiquè pupillam condidit Solem, & collocauit in Cælo, ita genitricis pulcherrimorum partuum terræ necessita-

ſitatem, ita humani generis vtilitatem reſpexit, vt fœcundantem omnia virtutem non vnius, aut alterius ſeculi ſpatio definiret: ſed in omnia conſecuturæ ætatis tempora firmiſſimis conſtituta legibus orbis ampliſſimi conuerſione diffunderet. Non ſecus magnificentiſſimus Leo maximum planè opus in reſtituenda, vindicandaquè Republica moliturus, ita æui ſui depellendam putauit ignorantiam, ita gentes, quibus imperabat è Vaticano faſtigio, felices voluit, vt poſterorum etiam quotquot aliquan-

quando viuerent, felicitatem conderet. Quod cùm in Principibus, quorum potestas hereditario iure transit ad filios, tantam omnium cõmendationem vendicet sibi, vt minuere illam vix audeat, ac ne vix quidem, adiuncta heredis vtilitas: in Principibus, quibus tradere sceptrum consueuit, aut Populus, aut Senatus, tam admirandum est, & excelsum, vt vèl ipsa cogatur commendare maledicentia. Non enim Tu optime Princeps, nobilissimam cogitabas amplificare familiam, dum Lycæum hoc

auguſtiùs inſtaurabas: in excelſo mentis capaciſſimæ theatro, dum non ſpectatoribus modò magnificentiſſimi imperij tui, ſed omni prorſus poſteritati vtiliſſima dabatur fabula, tacebat priuatus Tuorum amor, publicus primarias partes agebat; vt non minus Chriſtiana omnis Reſpublica Te Parentem agnoſceret, & appellaret, quàm Coſmum Gentilem tuum Florentina cognouerat, & appellauerat. Vt enim liberaliſſimus fueris in priuatos quoſque vel mediocri liberalium artium notitia

nobilitatos, vt vectigalia singulari benignitate sustuleris, vt dato congiario Romanum Populum exhilaraueris, nulla tamen tua liberalitas in eius comparationem venire potest, qua collabentem hanc Academiam, excidiumquè Reipublicæ secum trahentem non ruina tantùm prohibuisti, sed ad pulchriorem tuæ mentis ideam nobilissima forma reformasti; nemo enim tunc erat, nemo consecutis deinde tẽporibus fuit, nemo in præsens viuit, nemo erit imposterum, quem liberalitas illa prætereat;

cui tua hæc munificentia non profit. Quod vt in opportunissima legum scientia (quæ mihi disciplinarum omnium instar hic erit) explicatiùs ob oculos Vobis ponam, liceat mihi per vestram benignitatem ex hoc Archigymnasio, tanquam è specula vniuersam Rempublicam celerrima mentis agitatione percurrere. Homines animalia, vt Aristoteles aiebat, minimè solitaria, quamuis innato pondere in societatem inuicem, communionemquè propendeant, attamen in tot sententias, quot capi-

ta distributi, tam varia, morum, affectionumquè dissimilitudine, natura ipsa degenerante, compacti sunt, vt quemadmodum si quos paucissimos eadem vultus lineamenta similes faciunt, præcipuo cum admirationis sensu indigitare consueuimus: ita in admirandarum auditionum numero reponatur, si quos planè similes inuenimus. In vnaquaquè familia fratres à primis fratribus diffidere inter se didicerunt, altero scilicet parem dedignante, superiorem altero non ferente. Hæc eadem ipsa

Imperatricis Vrbium Vrbis augusta mœnia in ipsis exordijs fraterno sanguine maduerunt. Quòd si affectionum diuersitas intestinis litibus distrahit quos arctissima sanguinis, cognationisquè necessitudo coniungit, vbi aliud non intercesserit, quàm communissimum vnius, eiusdemquè naturæ vinculum, tam debilia esse stamina politicæ coniunctionis necesse est, vt nisi potentior aliqua vis, vel inuitos astringat, Reipublicæ cuiusuis corpus insurgentibus contra semetipsa infinitis planè capitibus

bus atrociſſimè dilaniatur. Huic vt obuiam iretur periculo, honeſtiſſimas leges excogitauit prudentia, ſanxit iuſtitia; authoritas promulgauit, publicus approbauit conſenſus, quarum inuiolabilis, intactaquè cuſtodia ita faceret vnumquemquè felicem, tam aptè maxima Reipublicæ membra mediocribus, minimiſquè vinciret, vt nemo, vèl infimus alienæ ſortis inuidia tangi poſſet, par factus ſupremis ipſis æqualitate iuſtitiæ, niſi plerumquè in plurimorum cordibus mortuę in ſolis libris, aut lapidi-

bus viuerent. Oportuit igitur, vt quos honestas non inuitabat, præmium alliceret, absterrerentur metu, quos turpitudo non auocabat. Oportuit vt prouincijs, ciuitatibus, municipijs æquissima iuris interpretatione regendis idonei Præsides constituerentur, vt legibus, hoc est surdæ, vt Liuius aiębat, mutæquè rei spiritus adderetur, atquè anima viuæ vocis oraculo. Oportuit vt non æquitas modò, sed prudentia quoquè, ac doctrina legum in Iudice tanquam in capite resideret; nam de mem-

brorum sanitate desperandum penitus est; quotiescumquè caput, aut ignorantia, aut iniquitate delirat. Oportuit deniquè, vt qui proprij iuris satis gnarus non foret, vicariam patronorum vocem, & sapientiam supponeret. Ad Te nunc reuertor, prouidentissime Leo; nequè enim Te præteribat, qui sapientissimus eras, quæ Reipublicę immineret, aut ignominia, aut excidium, ab huiusce Archigymnasij ruina; aut enim cum dedecore summo Vrbis gentium omnium Reginæ ab exteris nationibus Prę-

ſides prouinciarum emendicandi fuiſſent, aut dum inſipientibus crederentur populorum habenæ, omnis totius Reipublicę ſtatus interturbandus, omnis dignitas obſcuranda, omnis ordo inuertendus eſſet. Et ſanè decebat ne, vt ſapientiſſimus Imperator Iuſtinianus, ſanctiſſimi Gregorius, Bonifacius, ceterique Pontifices Canonicarum ſanctionum latores vbiuis gentium eloquentiſſimi, in ſola hac Cæſarum, & Pontificum Regia tacerent? Tolerari ne poterat, vt quæ de intima prodeunt Vaticani

cor-

cortina humanarum, diuinarumquè rerum oracula, in hoc eodem Imperij, Religionisquè centro publicos desiderarent Interpretes? Par erat, vt cum ruente hoc Lycæo gloriosum etiam illud tolleretur Romanorum elogium.

Tu regere Imperio populos Romane memento,
(Hæ Tibi erunt artes)
paciq; imponere nomen.

Nunc verò prouidentia, munificentiaquè Leonis, & antiquus Vrbi restitutus est splendor, & Vtriquè decus additum Iuri, & parata illustribus ingenijs præsidia, quibus fecer-

cernãtur à vulgo, & apertus pacificæ militiæ campus, vbi delectus haberi possit non militum, sed ductorum, & populis ne Iudicum insipientia vexentur, & actoribus ne causæ cadant ob causidicorum inopiam, & reis ne sine patrono perire possint, satis insuperquè consultum. Nequè tamen prouidum hoc Leonis, magnificumquè consilium subiectis tantummodo populis vigilabat; prudentia illa longè prospiciens non sistebat in emendandis hominũ, dirigendisquè commercijs modò: sed futuris

vt prodeſſet Principibus illud planè cauebat, vt viris potius dignitates deeſſent, quàm dignitatibus viri; dum Academiam hanc collabentem erexit, officinam aperuit, in qua exciſæ, politæquè columnæ ſuſtendandis Chriſtiani Orbis Eccleſijs proſtarent, virtute ſola vendibiles. Nequè hìc ego alios appello Teſtes, Iudiceſquè, quàm Vos ipſos, Ampliſſimi Patres, quorum vnuſquiſquè, & ſapientia, & probitate ſuffragante præcipuis Chriſtianæ Reipublicæ gradibus haberi dignus poteſt; è veſtro
enim

enim hoc numero dele-
ctus plerumquè Virorum
habetur, quibus Christia-
na Respublica, siue in ad-
ministrandis prouincijs, si-
ue in Ecclesijs regendis,
siue in arcanis Pontificiæ
mentis consilijs ad Reges
legatione laudatissima per-
ferendis tanquam efficaci-
bus felicitatis suæ instru-
mentis vtatur; quorum
sæpe numero splendor vbi
satis candore morum, iu-
stitiæquè præluxit, sacram
accendi solet in purpurã,
nec non ad supremum
quandoquè apicem hu-
manæ maiestatis ascende-
re. Quod si vnquam aliàs,
nunc

nunc præsertim gratulandum est Vobis, cum olim vnus Vestrum extiterit, quem triplicis coronæ pōdus in præsentiarum non grauat, Innocentius Decimus Pontifex Optimus Maximus. Nunc si vnquam aliàs in cælum extollendus est Leo, cuius prouidentiæ, ac liberalitatis amplissimus hìc fructus est, vt nec priuata vlla particula æquissimos Iudices, aut Rectores, nec vniuersa Respublica Pontifices Optimos, Sanctissimosquè desideret. Dixi.



DE

DE PRÆSTANTIA IVSTITIAE, Ac Legum Necessitate.

ORATIO

Habita in Aula Maxima Romanæ Vniuersitatis coram triginta Præsulibus. Die 12. Decembris 1641. Cùm primùm Institutiones Iuris Ciuilis cœpit interpretari.

INiturus hanc Iurisprudentiæ docendæ prouin-

uinciam, mihi inter cete-
ros licet immerito Vrbani
Octaui Pontificis doctissi-
mi, ac liberalissimi Princi-
pis benignitate demanda-
tam, Præsules Illustrissimi,
Sacri Consistorij Aduoca-
ti celeberrimi, Sapientis-
simi Professores, ceteri-
què Auditores ornatissi-
mi, recedere non sine ve-
stra venia ab antiqua pro-
ludendi consuetudine sta-
tui, dum primæ lectionis
meæ argumentum, non
materiam de obligationi-
bus, quarum mihi doctri-
na hoc anno discipulis
meis tradenda præfigitur:
sed iustitiæ, quæ legum
om-

omnium finis eſt, excellentiam, ac neceſſitatem aſſumo; Vobis enim non iniucundum, mihi verò perneceſſarium exiſtimaui, non ad ſingulos quoſquè Iuriſprudentiæ riuos, aut ad vnum dumtaxat illorum deguſtandos diuertere, antequam ſaporem illius in ipſomet fonte, hoc eſt in eius principijs & ipſe prælibarem, & libandum Vobis offerrem; cùm præſertim ex altera parte optandum mihi ſit, vt mea in dicendo tenuitas amplitudine argumenti iuuetur: ex altera verò ad me audiendum, tam ſin-

singulari humanitate Vos paratos aspiciam, vt locum in animis vestris excusationi meę nequaquam defuturum confidam.

Legum condendarum necessitatem, si penitiùs introspiciatur, ex iustitiæ reparandæ necessitate ortum habuisse nemo est, qui non videat; quas enim, aut condere leges, aut discere oportuisset, si primæuum illum perfectissimæ iustitię tenorem, quem ab optimo totius Vniuersitatis Artifice protoplastus nostri generis author acceperat, intemerata fide, constantiquè animo ser-

seruasset ? nequè enim æternæ legis exemplar de mentibus nostris, vbi diuinæ Sapientiæ stylo inscriptum fuerat, deletum vnquam, aut obliteratum fuisset, nisi positus inter legem mentis, & legem carnis Adamus, dum regiam, & à summo Rege traditam libertatem seruituti carnis addicit, & originarium iustitiæ candorem, & innatum ingenio lumen turpissimis maculis infuscasset; quo factum est, vt dum originis vitio ad filios, totamquè posteritatem contagium istud transfunditur, tam

latè

latè ſerpere, ac propagari malorum ſeges, ac ſcelerum cœperit, vt in peius quotidie lapſa humani generis conditione, ad viam æquitatis, quam corruperat, nulla caro reuerti aut voluerit criminum tenebris excæcata, aut potuerit aquarum eluuione deleta. Cum verò reſeminatum per caſtas, innocentesquè reliquias, quas iuſtus criminum vltor in arca ſeruauerat, paulatim, creſcere humanum genus, ac multiplicari cœpiſſet, tunc natum condendæ legis conſilium eſt, vt congregata in extructis iterum

rum ciuitatibus hominum multitudo, amissam felicitatem, cuius desiderio naturaliter flagrat, societatis, ac iustitiæ ope recuperaret. Igitur cum felicitatis humanæ potissimũ instrumentum iustitia sit, tantam oportet esse necessitatem condendæ legis; quantam existimamus esse reparandæ iustitiæ.

Videtis opinor, Auditores, in clarissima me luce versari; quotus enim quisquè est, qui maximam esse necessitatem iustitiæ, sine vlla prorsus hæsitatione non putet? Verùm distinctiùs, exactiusquè iustitiæ

natu-

naturam, ac dignitatem, inter cæteras, quas à moribus nuncupant, virtutes ſingularem, tanto æquius eſt, & me docentem perpendere, & Vos, qui eidem obſeruandæ inſiſtitis, & præſtis, audire, quantò præclarior eadem hæc virtus in Vobis eſt, eſſe debet in me; vt vtriquè ſubiectis populis, ac diſcipulis illam tradamus moribus expreſſam potius, quàm verbis. Fortes, prudentes, temperatos magnifacimus omnes, nulla enim particula virtutis eſt, quam ſuamet gloriæ, honoriſquè portio non con-

consequatur, in ijs etiam ipsis, quos odimus, virtutem diligimus, & admiramur; boni enim ad optimum habitudinem vbicunquè repereris, non colere, non amare, non æstimare quo animo potes, nisi fueris ipsa peior malitia? Verùm si vniuersas, vel aliquam earum cum iustitia comparare contendas, tantò sublimior ijs omnibus hæc apparebit, quantò vniuersi humani generis bonum priuati cuiuspiam hominis vtilitatem dignitate præcellit. Nequè hoc sesquipedalis cuiuspiam para-

doxi loco accipiatur à Vobis, antequam rationis, quam subijcio, momentum æqua lance pendatis. Cæteræ virtutes omnes priuatos quosquè respiciunt & tunc omnino proprium assequutæ finem dicuntur, cùm hominem, in quo insunt, perfecerint: at iustitia non solum efficit, vt iustus suo sibi modulo constet: verùm etiam cum cæteris quibusquè omnibus, tam aptè illum, ac tam iustè componit, quàm aptè, iusteque cohærent inuicem, ac iunguntur expoliti lapides in vnoquoquè, quod ex præceptis

architecturæ constet, ædificio. Sicut igitur artificium, quo lapis eo consilio expolitur, vt cum cæteris quibusquè in perfecta structura cohæreat, tantò præstantius est eo, quod eumdem à cæteris seiunctum innata ruditate dispoliat, quantò ædificij totius absoluta pulchritudo pulchritudinem seiuncti lapidis superat: sic virtus illa, qua iusti nuncupatione quispiam insignitur, tantò reliquas dignitate præcellit, quantò commune totius humani generis bonum vtilitati priuati hominis præstat.

ſtat. In qua comparatione illud etiam peropportunè in rem noſtram cadere poteſt, quòd quemadmodum ędificiorum architectatio, legeſquè licet in diſtinctos quoſdam characteres partitę ſint, in Ionicum videlicet, in Corinthium, in Doricum, in Hetruſcum, in tanta nihilominus varietate ſtylorum illud vnum conſtans perpetuò, ac ſingulariter manſit, vt partium ſcilicet ædificij iuſta ſit, ac reſpondens ad proportionis æqualitatem connexio: ſic quamuis tanta fuerit Legislatorum diuerſitas, in

iuſtitia tamen reparanda, ſtatuendaquè, in componendis inuicem, & ad æquitatis normam connectendis Reipublicæ membris conſpirauit ſemper nunquam variata legum omnium conſenſio. Nequè mirum hoc, aut ſingulare videri debet, Auditores præſtantiſſimi; optimus enim quiſquè Legislator, cum totius hominum cœtus felicitatem in condenda lege reſpiceret, perfectiſſimum legis exemplar à natura quæſiuit; natura enim, quam abſit vt errare poſſe dicamus, hoc ordinis, hoc æquita-

tis, hoc iustitiæ debitum, in nullo nō inseruit, quem participem rationis effecerit. Si quidem non solitarium quoddam animal homo est, sed capax factum felicitatis, amat societatem, instrumentum felicitatis potissimū. Quin etiam vt mundus hic (si veniam datis, vt hac vtar appellatione) ciuilis, ex paruorum multitudine mundorum conflatus, optimi regiminis beneficio frueretur, non innasci solum in nobis cognitionem, amoremquè iustitiæ voluit natura, sed perfectum etiam, & numeris

omnibus absolutum ęquitatis tenorem per totam rerum vniuersitatem vndequaquè diffudit, vt quē homo contemplaretur in cæteris ordinem admirabili lege perpetuum, puderet iniquè agendo in semetipso peruertere. Contemplamini quæso, Auditores, cælestium orbium velocissimas conuersiones, quorum vnusquisquè non ita proprijs motibus circumfertur, vt in citatissimo primi mobilis cursu se rapi, ceù quadam iustitiæ lege non sinat: perspicite sedes elementorum quemadmodū

inna-

innatis appetitionibus leuia superuolant, grauia deferantur ad centrum; perfecta hoc exigit æquitatis ratio, vt ignis, in quo minimum est materiæ, plurimum formæ, & ampliorem obtineat sedem, & sublimiorem, vt quò libet velocissimè se diffundat: terra verò, in qua minimum formæ, plurimum materiæ est, quasi torpens ponderi suo innitatur, cæterorumquè pariter elementorum non alius ordo sit, habitudo non alia, quàm quæ ipsorum naturæ consentanea est, & conueniens; opposi-

tis enim, & secum inuicem decertãtibus elementis seiunctus omnino locus fuit assignandus, vt nonnisi quibusdam rebus medijs quasi vinculis iungerentur. Vultis hæc eadem intueri non magnetici virtute lapidis, sed occultis iustitiæ nodis coniuncta? diffidet ab aqua tellus; hæc enim ariditatem sortita est, illa gaudet humore: sed frigoris vinculo connectuntur. ab aqua discrepat aër; hæc enim condensatur præ frigore, hic diffunditur præ calore: sed societatem inter eos humiditas vtriusque

què conciliat. diuersus aër ab igne est, quia nimirũ immortalibus odijs se prosequuntur humor, & siccitas: sed vt redeant in gratiam, communem adepti sunt proprietatem caloris. tantum inter se distant ignis, & tellus, quantum calor à frigore seiungitur: & tamen per siccitatem vtriquè communem amico fœdere copulãtur. Profectò si ad hæc respiciamus, vero verior videbitur antiquata iam antiquissimi Philosophi sententia, qui principia rerum litem esse, & amicitiam aiebat; cum enim in

elementorum connexione ita natura comparatum sit, vt ea prorsus ratione, qua vnum ab altero diffidet, copuletur cum altero, & quæ contrarijs omnino constant proprietatibus mediatore indigeant, vt coniungantur, quis non videt maximam oriri, ac perpetuam ab ipsa disiunctione concordiam; tanta scilicet est iustitiæ vis, æquitatis potestas, vt ipsa his cum amicitia ad faciendas, seruandasquè res omnes fœdus iniuisse videatur. Quod monstrum implacabilius, crudelius, irato mari? vinculis tamen

æquitatis, iustitiæ legibus ita se continet, ita se coërcet, vt præscriptos littoris terminos nunquam audeat prætergredi; mirabile visu! tumentium vndarum feroces impetus ad exiguam, ac debilissimam arenam frangi, & dum patefacta voraginũ immensitate vniuersos voraturã terrarũ tractus tempestas videtur, potentissimo tamen fræno coërcitam, aduinctamquè iram quasi resorbere, reuolutis vorticibus in semetipsam reuersi: & quod pudorem, admirationemquè in nobis, quorum propria est hu-

humanitas, & consilium, excitare debet, illud idem frænum, quo constringitur, lambere. Iustitia videlicet terminum posuit aquis, ne transirent fines suos, vt habitabilis terrarum globus, & ferax esset. Quæso vos, Auditores, quotiescumquè terræ vapores igneum Solis calorem attollentem perspicitis, non illico in mentem venit rapinæ; quasi vt ditentur supremæ, infimas hasce partes prædatrix illa flamma dispoliare contendat? sed profectò beneficium est quod rapinam putamus; vapores enim

enim Solis vi attolluntur non aliam ob causam, nisi vt postmodum cogantur in nubes, ipsiquè terræ cũ fœnore pluuiarum largissimo ad fœcunditatem reddantur. Ipsamet tellus pro paucis seminibus, quæ credita ei volumus, multiplicato incremento fruges infinitas rependit. parum est, quod commissi sibi seminis depositaria sit, atque custos: fertilitate gaudet, vult parere, vult augere, vult amplissimo fœnore gratiam accepti referre: imo & liberalius cũ hominibus agit, dum fructum non effœta
fœ-

fœcũditate bis reddit. Sed quid immoror in elementis? ad res mixtas gradum faciamus; primo enim aſpectu en tibi tot ſe obijciunt oculis diſcrepantiæ, quot res: verùm licet illas formarum diuerſitas inuicem toto cælo diſſociet, vnit tamen, ac iungit vnius, eiuſdemquè materiæ naturalis communio. In ipſomet humano corpore tunc ſanitas floreſcit, ac viget, cum humorum permanet inuicem mutua quædam gratia, & æqualitas. ipſa corporis pulchritudo quid aliud eſt, quàm ſpectabilis, ac deco-

decora quędam diſpoſitio membrorum ? Quòd ſi hæc de iuſtitia cuipiam videantur ſpecioſè, ac per metaphoram dici, conſideret tamen quiſquis ille eſt, quãti interſit inter homines æquitatem conſtitui, quam per totam rerum vniuerſitatem ſupremus Artifex voluit eſſe diffuſam; quemadmodum enim vt ſollicitudinem diſcat, ad formicas mittitur piger, ſic ad contemplandam quæ oritur in ipſis rebus ab ordine pulchritudinem, iniuſtus mittendus eſt, vt iuſtitiam dignoſcat, in qua virtutis,
vt

vt inquit Cicero, ſplendor maximus elucescit. Quid pulchrius quæſo vos Auditores, quàm in varijs hominum conditionibus, in diſtinctis hominū gradibus abſquè confuſione, cōſummata ordinis æquitas? cùm nequè dignior inferiorem ita premit, vt humanitatem obliuiſcatur, nequè inferior ita extollitur, vt dignioris contemnet authoritatem, vbi pauperi locus eſt ſuus, vbi diuiti ſuus, vbi legum ſumma reuerentia, Principum amor in ſubditos, ſubditorum in Principes, vbi ætatum diſtinctio, virtu-

tutum diſcrimina, & præmia, vitiorum pœnæ, conſanguineorũm coniunctio, ciuium concordia, totiuſquè Reipublicæ tranquillitas, ac ſecuritas. Horum autem bonorũ quodnam, amabo, à iuſtitiæ fontibus non emanat? ipſa bellorum aſperitas, vrbium vaſtatio, hoſtium internecio, agrorum depopulatio tũc laudem adipiſcitur, quam aliunde conſequi nequaquam poteſt, cùm pacem, cùm concordiam, cùm iuſtitiam tuetur; ſi enim nullum bellum eſt iuſtum, quod pariter neceſſarium non ſit, nullumquè neceſ-

ſa-

ſarium, quod ad propulſandas iniurias non ſuſcipiatur, ibi tandem armorum iuſti motus coincidant neceſſe eſt, vt ſua vnicuiquè iura ſeruentur. Tonitru legũ prius erumpat oportet, quàm fulmen armorũ; quapropter quicquid in iuſto bello malorum eſt, quicquid ruinæ, quicquid cædium, quicquid excidiorum, hoc ijs acceptum referri debet, qui intulerunt iniuriam: quicquid verò commoditatis, ac boni, id totum debetur illis, qui illam vindicant. Ipſa bella non fierent, ſi rectus iuſtitiæ

ordo peruersus ante non esset. Tanti interest iustitiam seruari, reparari, defendi, vt pretio sanguinis, & hostium, & ciuium, excidijs vrbiũ, vastationibus prouinciarum, regnorum euersionibus benè, & laudabiliter empta esse putetur. Quòd si ciuiles, quæ nunquam iustæ sunt, dissensiones, ac bella ex antiquis, aut recentibus historiarum monumẽtis repetamus, iniustitiæ damna, & deformitatem profectò videbimus. Tunc extinctus est omnis Romanæ Reipublicæ splendor, tunc cecidit Imperij sta-

tus nunquam resurrectu-
rus, cùm Cæsar maiorem
pati non potuit, Pompeius
parem, cum regno in ty-
rannidem verso, triceps
illud monstrum Triumui-
ratus Romanam liberta-
tem inuasit, pessumdedit,
conculcauit. Verùm hæc
cur aut miremur, aut me-
minerimus non est; anti-
quissima labes hæc est,
quæ primum hominem
sapientissimi artificis ma-
nu modulis omnibus, nu-
merisquè perfectum, de
altissimo felicitatis gradu
deiecit. hæc omnium fons
est malorum, quæ postero-
rum omnium natales ori-
gina-

ginaria macula violauit. hæc in ipsis mundi primordijs effecit, vt primus, qui per cędem sanguis effunderetur, fraternus esset. hæc in tot calamitates humanum genus coniecit, vt resurgere nequè suis, nequè supremorum cęli spiritunm viribus vnquam potuerit. Quamobrem diuinæ iustitiæ reũ, cum satis læsæ maiestati facere neutiquam posset, totum prorsus sempiternis ignium cruciatibus afficiendum erat, nisi per summam miserationem excogitata esset ratio, qua diuinæ satisfieret iustitiæ,

in qua quemadmodum supremæ benignitatis immensitas mirum in modū elucet, sic ad æquale omnino ponderis momētum coniuncta est vnà cum beneficentia læsionis amplissima compensatio. Clementissimus enim Parens cum solo nutu rebellibus filijs inobedientiam condonare potuisset, mirabiliorem tamen quandam rationem ingeniosè commentus est, vt & qui satisfaceret homo esset, & ad iustam compensationis mensurā satisfaceret, quia Deus erat. Vnde ortum est, vt cum salus omnis, ac

vita

vita nostra à Christo Seruatore sit, idemquè nostrę libertatis pretium ad perfectissimæ iustitiæ trutinam persoluerit Deo, non effundantur in genus humanum diuinæ misericordiæ thesauri, quin simul erga Christum rigidæ iustitiæ rationes seruentur. Tanti Deus Optimus Maximus fecit iustitiam, vt tunc maximam adamussim seruatam voluerit, cùm humanum genus cumulare beneficijs amplissimis cogitabat. Ipsam supremam, quæ contingit hominibus ex intuitu diuini Solis beatitatem quis tam

impudens ſit, qui peculiare Numinis donum eſſe, beneficentiamquè non aſſerat? omnes enim quicumquè diuinū illum inexhauſtæ maieſtatis ſplendorem, aut nunc vident, aut viſuri vnquam ſunt, nondum præcognitis meritis mera liberalitate benigniſſimus Deus præoptauit ad gloriam: hanc tamen felicitatem nunquam prorſus adipiſcentur, niſi ante meruerint, niſi legitimum certamen certauerint; vt quod miſericordia incohauit opus, iuſtitia perficiat, & iuſtitiæ corona donetur vt victor, cui

misericordia robur dedit, vt vinceret. Quod vtriusquè diuini, vt vulgo nuncupant, attributi perpetuum, ac nunquam solubile vinculum si pijs, attentisquè mentibus veneremur, verè possumus, & debemus cum Rege Psalmographo exclamare, Misericordia, & Veritas obuiauerunt sibi. Iustitia, & Pax osculatæ sunt.

Finem hìc dicendi libentissimè facio, Auditores præclarissimi, ne dum Iustitiam laudibus prosequor, Vobis diù detinendis iniustus ego ipse videar; Hæc enim Sole ipso

ſplendidior veritas, apud Vos, qui Iuſtitiam, & optimè noſtis, & quotidiano efficaciſſimè docetis exemplo, peroratione non eget. Dixi.



DE

DE OPERIS NOVI NVNCIATIONE

ORATIO,

Seu potius Lectio breuis,

Habita in Aula Maxima Romanæ Vniuersitatis ad Alexandrum VII. Pont. Max. dum Sacro Purpuratorum Senatu comitante eandem Vniuersitatem perhumaniter inuiseret Die 14. Nouembris 1660.

CVm in postremis lectionibus è prima vespertina Iuris Ciuilis or-

ordinaria Sede, quam humanissima tua beneficentia, licet immeritus sum assequutus B. P. exposuerim antiquissimum Prætoris edictum de operis noui nunciatione, illam peropportunè in hanc felicissimam diem reieci quæstionem, Num laudem, eamquè non exiguam nouitas mereatur. Mirum quippe videri potest, aut etiam debet, quòd vlla commendatione nouitas sit prosequenda, dum edicto prohibetur Cæsareo: sed & illud mirabilius, cur non sit summoperè celebrãda, cum Pontificio tuo

tam

tam præclarè resplendet in facto. At nodus hìc tam tuo Pontificio facto, quàm Cæsareo soluendus edicto est. Facto scilicet tuo perdiscet non Romana modò Iuuentus, sed Orbis planè vniuersus, quæ nam vitanda sit nouitas, quæ sequenda. Alia quippe est, quam ducit honestas, comitatur vtilitas, virtus fouet; & hæc in omni tuo renidet opere: alia, quam trahit libido, fraus operit, exaggerat lis, & hanc ne vicinorum ædificijs, aut lumina prohibendo, aut auras intercipiendo salutares, detri-

mentum intentet, iura coërcent Imperialia. Verum enim verò præclara illa nouitas, qua tua in hac amplissima Vrbe rutilat vndequaquè munificentia, per quam tum ædificiorum, platearum, viarum, fontium, Templorum crescit in dies pulchritudo, atque maiestas; tum corporum vigor, ordinum decor, morum, animorumquè concinnitas, ac virtus augetur, amplificatur, attollitur, non modò placebit identidem repetita: sed sicut votis est omnibus amplectenda, ita tanquam præsentis edicti

finis,

finis, atque anima linguis prorsus omnibus concelebranda est; quandoquidem quę lex priuatę consulit vtilitati, publicam, profectò non contemnit, sed efficaciùs curat. Vtquè cętera pertranseam, quæ delectabilior, quæ vtilior, quæ gloriosior vnquam nouitas, quàm Aedes hæc Sapientiæ, illis hactenus vocibus exposita, hìc fabricari est cœptum, quòd absolui non potuit, nunc demum tuo maximo beneficio, toto ambitu perfecta, & Bibliotheca, Hortoquè medico instructa, ac nouis exe-

dris aucta, vèl cum ipsa certare videtur æternitate. Iam enim hinc Roma, hinc Orbis expectat, vt solidissima propagentur fundamenta virtutum, vt per liberos sese tractus diffundant lumina scientiarum, vt salubres ex literarijs, medicisque viridarijs in corpora, mentesquè transpirent vbertim auræ, vt noua semper accessione nobilium studiorum non solùm suprema humanæ molis portio aditum sibi ad vitam reserat sempiternam: verùm ipsamet aspiret mortalitas ad immortalitatem. Huic autē

tam


tam magno, tam splendido bono, non modò Prætoris non obsistit edictum: sed & liuoris, ac temporis edacitas, & mortis ipsius imperium, Tartariquè latratus cedunt. At quid inquam cedunt? imò eò laudant, plauduntquè patentiùs, quò nouitate hac pręclarissima non præsenti dumtaxat seculo, velut vnico tantùm Orbi: sed futuris omnibus ætatibus, quasi totidem mundis glo riosissimè prospicere Te præsentiunt, præsagiuntquè P. B. Siquidem non vnis contentus populis benefecisse, cõtraria qua-

dam ratione Macedonis illius vmbratilem gloriam solida longè superasti virtute, adeout sicut illius inexplebilem regnādi cupiditatem non tam satyricè, quàm verè Poëta perstrinxit, inquiens

Orbis Pellao Iuueni non
sufficit vnus.

Ità de Te longè veriùs non tam canere, quàm vaticinari oporteat.

Vnus Alexandri non sat
virtutibus Orbis.



Elegantem, & fidelem huius magnificētissima functio-

ctionis descriptionẽ exarauit R. P. Fr. *Franciscus à S. Augustino Macedo Lusitanus Ord. Min. Obseru. olim in eadem Vniuersitate Historia Ecclesiasticæ Professor, eamquè Illustrissimi DD. Sacri Consistorij Aduocati Vniuersitatis Rectores Typis Dragondellis mandari curarunt an.* 1661.



DE

DE LAVDIBVS ECCLESIASTICI IEIVNII.

ORATIO

Habita in Academia Basiliana Die 13. Februarij Fer. 4. Quatuor Temporũ Quadrageſimæ 1636.

CElebrem hanc, quam per hos dies Chriſtiana Reſpublica ſeruandam proponit ciborum abſtinentiam, an non ampliſſima, & perenni laudum

dum corona decorabimus, Eminentiſſimi Principes, cùm quotannis repetita vere auream tempeſtatem nobis referat, qua pacis hominis cum Deo firmiſſimum fœdus initur, & imõrtale cæleſtium beneficiorum ærarium mortalibus reſeratur? Quis ieiunium non laudet, & adoret, præſertim anniuerſaria ſolemnitate ſacro mẽſe recurrens auſteriori diſciplina celebratum, dixit antiquiſſimus Philo? Etenim ſi quælibet virtus licet modica vberrimum gignit laudationis argumentum, omni quidem

præconij genere exornari postulat ieiunium, cùm vt diuinæ mentis interpres Hieronymus ait, non modò perfecta sit virtus: sed solidissimum ceterarum virtutum fundamentum.

Age igitur, & vt ieiunij dignitas magis elucescat, eius originem nobilissimis è principijs repetamus. Pulcherrimum totius Vniuersitatis ornatum mirificè descripserat peritissimus rerum omniũ Architectus Deus, & inter cætera sapientiæ suæ delineamenta, locum admirabilem, & aspectu iucundissimum construxerat, quem

nulla

nulla ventorum vis, nulla tempestatum intemperies, nullus indignantis cæli impetus perturbaret, cuius placidissimę amœnitati, nec brumalia frigora, nec æstiui calores officerent, vndiquè suauitate gratissimum, vndiquè delicijs affluentem, vndiquè aëris clementia salutarem; hinc floribus nunquam deficientibus redimitum, hinc frugiferis arboribus consitum, hinc mellifluis aquis irriguum, clarissima luce circumfusum, quippè situ celsissimum, ac proinde exorientium siderum fulgore vndiquè irradiatum;

tum ; vbi bona valetudo perpetuò maneret, dies continuò euoluerentur nitidiſſimi, rerum omnium, compoſitio vigeret imperturbata ; fertilitatis agrũ, felicitatis ſinum, pacis regiam, tranquillitatis regnum, quietis aſylum, charitum hoſpitium, mundi pompam, terreſtre cælum, cæleſtis gloriæ compendium, vno verbo, exquiſitiſſimarũ Paradiſum voluptatum. In hoc ſummæ amœnitatis theatro ortũ ſuum feliciſſimum duxit ieiunium, quum primus hominum parens, quem iam formatum ad ſui imaginem

ginem ibi collocauerat Deus, præceptum accepit, vt cætera poma comedens ab vna solùm arbore abstineret; dicere enim, inquit Chrisostomus *hom. 1. in Genesim*, hoc comede, hoc ne comedas, ieiunij figura erat, nimirum beatitas Paradisi sine abstinentia cibi non potuit dedicari, & vitæ perennitatem, quam per vetiti pomi esum suaserat pessimus ille mortis orator, hanc per ieiunium humani generis principi elargiri statuerat immortalitatis fōs, & origo Deus. Sic qui felicitati semper renascenti,

&

& nunquam defecturæ vitæ natus fuerat, si ieiuniũ seruasset, primus omnium mortem in humanum genus per intemperantiam inuexit, & cùm ventri prius indulgere didicisset, quàm viuere, vix delibato deliciarum flore, se, suosquè in colluuionem miseriarũ coniecit. Verùm antiquiora etiam fuisse ieiunij primordia nos admonet clarissimum Ecclesiæ lumen Ambrosius *lib. de Elia, & ieiunio cap. 4.* dum ait, Prima terrarum Orbis efformatio à ieiunio cœpit, lux nitidissima cùm primò effulsit: secun-

dum

dum opus in ieiunio perfectum fuit, cùm Cæli factum est firmamentum: tertia die pabulum terra germinauit, natura obsequium præbuit, ieiunium tamen cælestis disciplina seruauit: *& post pauca*, sexta die animantia in lucem fuerunt euocata, & cum illis orta est edendi potestas, & vsus escarum; vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi.

His ad ieiunij nobilitatem ostendendam ita præmissis, ad propositæ confirmationẽ sententiæ gradum fieri necesse est. Nemo autem dissentire audebit

bit, ieiunium virtutũ omnium esse fundamentum, dum per singula virtutum genera mentem, animumquè circumuoluerit, quæ ab illo tanquam fœcũdissima è radice promanant. An non illicò animaduertet, ieiunantem facillimè illibatum seruare pudicitiæ florem, dum gulam libidinis fomitem coërcet? nunquam sanè faciliùs triumphatur, quàm cùm proprijs spoliatur armis voluptas. An non fortitudinem verè palmarem in subeundis laboribus, ærumnisquè exhantlandis comparare fatebitur, cùm

non

non tam membra, quàm animus aſſidui obdureſcat aſperitate ieiunij? De prudentia verò quid dicam? vt gula hebetatur ingenium, ſic acuitur ieiunio. Compoſitis ad naturæ neceſſitatem humoribus, vim dirigere ſuam ad veritatis normam illuſtrata mens poteſt, quæ toto cælo tunc potiſſimum aberrat, cùm eiſdem ex cibo ſuperuacaneo ſuſcitatis, dū intellectionis perturbat ordinem, facultas apprehenſionis confunditur. Nec ſilentio inuoluenda eſt iuſtitia, pacis auctrix, diſſenſionum inimica, felicitatis ori-

origo; non enim verendũ eſt, ne quis clauo gubernationis admotus ius ſuũ cuique diſtribuat, qui dum frugalitatem amplectitur, ſemetipſum tam benè regere nouit. De religione verò quis ambigat? ipſa hæc abſtinentia ex condicto cultum Numinis reſpicit, cuius gratia ſolemnia decernuntur ieiunia, quibus indignata noſtris ſceleribus Dei maieſtas placatur. Nequè tacita præteriri charitas permittitur, qua virtus omnis perficitur; hanc enim, à qua ieiunium eſt imperatum, ab eodem incremen-
tum

tum accipere ieiunio dubitare quis audeat? si enim mens abstinentia clarescit, & prauæ sedantur affectiones, nemo est qui ignoret, charitatem & eleuatæ consilio mẽtis augeri, & restricto crescere cupiditatum ardore. An non sui ipsius contemptus ieiunio acquiritur; si ex superbia oritur gula? dum inedia corpus atteritur, anima cælestis gratiæ pinguedine saginatur, & serpens ille, qui comedentem hominem cibi telo prostrauit, ieiunanti per sobrietatis arma succumbit; serpens enim, vt per-

hibent qui ſcrutandis rerum naturis ſubtiliter inſudarunt, ſi ieiuni hominis ſaliuam guſtet, protinus moritur. Quid boni non affert ieiunium? quæ dona non elargitur? vires animi reficit debilitatas, effrænatas cupiditates domat, turbulentos affectionum motus mitigat, voluptatum extinguit illecebras, furoris impetus temperat, excitatas compeſcit iras, fluctus naturæ ſedat, & vt Baſilius diſertiſſimus ille integritatis magiſter *hom.* 1. *&* 2. *de ieiunio* loquitur, ieiunium potentibus addit robur, legum

lato-

latoribus suppeditat sapientiam, dæmonum insidias depellit, ad pietatem inflammat, belli fortitudinem auget; domi docet quietem, preces nostras subuehit in Cęlum tanquã alæ, quibus sursus ferantur. Non veretur maritus, vt coniugi tendantur insidiæ, cui familiare videt ieiunium: non contabescit vxor zelotypia, dum videt maritum amplecti ieiuniũ. An non Nyssenus quoquè eruditi splendoris lux clarissima orationi meę fidem conciliat vberrimam, dum *serm. de ieiun.* facundissimè ait, ieiunium est tem-

perantiæ magister, virtutis mater, nutrix filiorum Dei, intemperatè viuentium informatio, tranquillitas animarum, futuræ gloriæ imago, incorruptæ vitæ imitatio, sanctorum collactanea, omnis boni operis initium, constantia seu bona habitudo vitæ, pax inuiolata, & imperturbata; huius enim seueritas, & grauitas prauas cupiditates sopit, iram, & commotiones extinguit; omnemquè procellam, quæ ex nimio cibo ebullit, refrigerat, & coërcet. An non deniquè, vt ceteros omnes prætermittam,

Rauennas Antistes, qui ab oratione verè aurea pretiosum cognomentum inuenit, idem sentit, dum *serm.* 33. argutissimè profatur; ieiunium est singulare sanctitatis aratrum, colit corda, eradicat crimina, scelera euellit, vitia subruit, charitatem serit, copiam nutrit, parat innocentem messem? Quod si per abstinentiam euadimus templum Dei auctore Basilio, nonne idololatriæ fanum euadimus contemptu ieiunij? fanum est diris omnibus, & imprecationibus execrandum, vbi non colitur immorta-

lis Deus. Quanta igitur abominatione deteſtãdum eſt illius corpus, cuius Deus venter eſt, vt Apoſtolus loquitur, in quo non ſpiritus Dei inhabitat: ſed idolũ voluptatis, & corruptionis materia. Ieiunium primo hominum parenti Paradiſi deliciarum dominium præbuit, quem inde gula deturbauit. Hoc caſtas generis humani reliquias in arca ſeruauit, mundum incontinentia cùm demerſit. Per hoc Cælitum hoſpes Loth Sodomæ reſtinxit incendium, qui per ebrietatem effrenatæ cupiditatis eſt
ſuc-

ſuccenſus ardore. Huius gratia Moyſes legem accepit digito Dei exaratã, vt aureus eloquentiæ fons Chryſologus eloquitur, quando commeſſatio, & ebrietas Iſraeliticum populum ſimulacrorum obtenebrauit erroribus. Addite Ioannem,quẽ vt idem inquit, ieiunium inter natos mulierum fecit eſſe maiorem, cùm temulentia Herodem Principem imperio mulierum reddidit homicidam. Addite Annam Samuelis parentem, quæ vt ait Tertullianus, impetrauit facilè à Deo inanem cibo ventrem

filio impleri. Addite fortissimum Samsonem, qui vt cum Ambrosio loquar, sterilitatē matris vini abstinentia fęcundauit,& parientem fecit sterilem. Addite Danielem, qui plurium dierum ieiunio Leones quoquè docuit ieiunare, quibus per abstinentiam visus fuit formidabilis. Addite præclarissimam fœminam Iudith, quæ ieiunio munita facili negotio de innumero ebriorū exercitu victoriam reportauit. Quis ignis extinxit ardorem, quis maris fluenta solidauit, quis petram soluit in fontes aquarum,

nisi virtus ieiunij, quæ cõtra suam mutata naturam, vt idem Ambrosius inquit, & fluctus obriguit; & petram inundauit?

Attamen quid ad meæ confirmationem sententię è sacris historijs argumẽta desumo, cùm nationes etiam inconditæ, ac barbaræ ieiunij, & abstinentiæ dignitatem optimè nouerint, ac proinde illis adeò in delicijs fuerit frugalitas, & victus temperantia, vt vilissimis cibis contenti sæuissimis pœnis plecterent quos vino, aut voluptatibus deditos inuenissent. Accipite quid

de illorum admirabili in cibis parcitate veterum historiarum monumenta testentur. Empedocles,& Pythagoras ab animantium carnibus abstinebãt. Porus Rex Indorum aqua, & pane viuebat contentus. Epicurus ipse voluptatis assertor oleribus tantùm, ac pomis aiebat esse viuendum. Numa Pompilius cùm pro frugibus sacra faceret, à carnibus ieiunabat. Iulianus Cæsar oleribus, & leguminibus sæpè contentus erat. Massinissa Rex Numidarum iam nonagenarius semel tantùm in die vescebatur


ſine pulmento. Erant etiã apud Hebręos populi quidam, qui vino,& carnibus perpetuò carebant,&quotidianum ieiunium vertę-rant in naturam. Aegyptij ſacerdotes ab ijſdem ſemper abhorrebant. Magi Perſarum ſola farina cum oleribus alebantur. Iſydis ſacris initiandi decem dierum ſpatio carnibus, ac vino parcebant. Apud Athenienſes inter ſacra Cereris mulieres ieiunabant. Aureo ſeculo ſub Saturno nullus carnes comedebat. Apud Cretenſes Iouis Sacerdotes non modò carnes: ſed ne

quidem cibum vllum ignè mollitum, & coctum audebant attingere. Babylonij, & Icthyophagi piscibus, Medi amygdalis, Aethiopes locustis, Chelonophagi testudinibus, Argæi, & Tirynthij pyris, Cares ficubus, milio Neotici tantummodò victitabant. His addite Persas, Lacedemones, Lybiæ populos, Solis orientis Nationes, Eleusinos, aliosquè victu temperatissimos. Refert Alexãder apud Mosynœcos populos vltra Carambin flumen morem inualuisse, totius diei inedia mulctandi Regem, quem [illegible] dele-

delegerant, si quid praui deliquisset; adeò efficax nationibus quoquè clarissimo fidei lumine destitutis reputabatur ieiunium, vt scelerum maculas detergere, & pristinæ innocentiæ deprauatum animum restituere in mentem sibi induxerint.

Verùm quid sacra, & extera exempla proponimus, vbi diuini lux exemplaris omnia, quæ proferri possunt, exempla præstringit, omnibus nobis dans exemplum, vt per illud armemur, vt dixit Chrysostomus. Arma sernis non solum detulit è

Cælo Deus homo factus, ſed ipſe primus eorum tractationẽ quamuis Dominus docere nos voluit. Totidem quot ſerui dies ieiunat; vt re ipſa nos erudiat, aureũ os eloquentiæ pronunciauit. Non eſt itaquè vt meam de ieiunio orationem vltra protendam, quando iam laudatorem inuenit Deum, noſtra mortalitate cõtectum. Nemo quippe ieiunium eloquentiùs commendat, quàm qui opere conſecrauit in ſemetipſo. Dixi.



DE

DE SACRIS IMAGINIBVS.

ORATIO

Habita in Academia Basiliana. Die 7. Februarij 1639.

DVo postremi Academici, quos ex loco isto eloquenter, eruditèquè differentes plausu excepistis, Eminentissimi Principes, quorum alter Sacerdoti sacrum facturo Aram parauit, alter vt ad Aram propiùs accederet, eum-

eumdem sacris indumentis ornauit, viam mihi dicendi, lucemquè hodierna die referant copiosissimam; ego enim proximus illis, sed facultate differendi toto Cælo seiunctus, insistendum mihi vestigijs illorum putaui, vt prius quàm Sacerdos noster ornatus iam, instructaquè Ara rem diuinam agere incipiat, velum pandam, quo vel depicta, vel sculpta imago Numinis, aut Sanctorum obtegitur, vt & Sacerdoti pietatem, & populo, venerabundus illius aspectus opportuna sanctitatis, & beneficio-

rum

rum recordatione progeneret.

Imaginum vſum, & Statuarum antiquiſſimum eſſe in Eccleſia reuocandum non videtur in dubium in Eccleſiaſtica hiſtoria vèl ore tenus verſatis; ab ipſo enim Chriſto Eccleſiæ auctore, & capite originem, ſi Damaſceno credimus, traxit. Regi enim Abagaro aſpectum Chriſti nimium quantum optanti, Chriſtus ipſemet imaginem ſui tranſmiſit, quam miraculis poſtmodum claruiſſe præcipuis Procopius, & Euagrius teſtantur. Sapiētiſſimi Pręcepto-

ceptoris exemplo Diſcipulus Lucas, vt Nicephorus non modò, ac Simon Metaphraſtes, verũ Theodorus Lector pluribus ante ſeculis natus teſtatum initio Collectaneorum reliquit, imaginem Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis affabrè pinxit; & prudentiſſimè quidem qui doctis calamo quaſi pennicillo in Euangelij tabula Chriſtianam ſapientiam ad viuum expreſſerat: rudes etiam, nec admodum capaces pennicillo, quaſi calamo orthodoxam docere voluit pietatẽ; ſicut enim tabula doctorum ſcriptu-

ra eſt: ita Gregorio teſte idiotarum liber pictura.

Quamplurimis hìc exemplis antiquiſſimis ex auctoribus petitis Imaginum vſum ipſa Eccleſia naſcente natum probare poſſem; Imagine Chriſti Beriti à Chriſtiano homine habita, cuius opificem Nicodemum ferũt: Statuà eiuſdem Chriſti ex ære fusà, à muliere, quæ fluxu ſanguinis laborãs à Chriſto ſanata eſt, ipſimet Seruatori dicata, ſexcentiſquè alijs, quæ longum enumerare mihi, vobis ſi non moleſtum, importunum tamen eſſet audire. Verùm

quæ

quæ veritas tam certa, quam impij, insipientesque homines non oppugnare: quæ falsitas tam palmaris, quam humana defendere malitia non audeat? ijdem illi insipientes, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, qui corporatum ad reparandos homines Deum turpissimo mortis genere parricidæ crudelissimi affecerant, Imaginibus etiã eiusdem nefarium bellum indixerunt, vt quem de viuentium albo per summum scelus expunxerant, de viuorum etiam mente delerent.

Iu-

Iudæi Christianos, quòd sacras Imagines in Templis colerent, Idololatras fœdissima impostura vocarunt; suo nimirum modulo nos metiebantur, & quod sibi ad idola colenda propensissimis vetitum diuina lege videbatur, sãctissimæ etiam Nationi, & diuina sapientia instructissimæ denegandum volebant. Habetur *Exod.* 20. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in Cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, neque co-

coles, *& paulò inferiùs*. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Et *Deuteron.* 4. Non vidiſtis ſimilitudinem in die, qua loquutus eſt vobis Dominus in Horeb in monte de medio ignis, ne feceritis iniquitatem,& faciatis vobis ipſis ſculptilem ſimilitudinem, & errore decepti adoretis eam, & ſeruiatis illi. Quod etiam multis alijs in locis habetur. Verùm non imaginum vſu interdictum Hebræis, diuina lege, ſed abuſu vèl ex eo manifeſtiſſimum eſt, quod imagines

nes Cherubim super Arcam, serpentem æneum in deserto, & alia id genus facienda Deus ipse imperauerit. Salomon quoquè leũculos in solio suo sculpsit, & Cherubim, & palmas, & cælaturas in Templo valde eminentes, vt *ex 3. Reg. cap. 6.* clarè constat. Non igitur imaginum vsus diuina lege prohibetur, sed abusus. In primo enim præcepto Decalogi cultus veri Dei præcipitur: idololatria verò prohibetur. Iudæi autem dum occidentem literam nimis pertinaciter fouent viuificantem spiritum nimis impiè

piè suffocant. imò & sibi contradicere non verentur; quod enim verbis inficiantur, re tamen ipsa perficiunt. Nam Cæsaris antequam Christum occiderent habebant, & Principum nunc imagines in nummis habent, & in aulæis. Impietatem Iudæorum indignum illud sceleris prodigium Mahumetus amplexus est. Sed quid mirum, quòd homo, qui nec Christo credidit, nec Iudæis: sed ex vtraquè lege sacrilega sagacitate cõfusa tertium quoddam portentum excogitauit; imagines etiam pingi ve-

vetuerit? Mirum fortasse videbitur quòd Christianus Imperator, vnde populis norma pietatis accipienda est, publico edicto Imagines omnes, & Statuas iusserit euertendas, Leo scilicet Isauricus. Sed si attendamus quos adhibuerit ad hanc rem consiliarios, & quorum consilijs hærere noluerit, admiratio in indignationem vertatur necesse est. Iudæorum enim maleficorum persuasione motus est, & Gregorij Sanctissimi Papæ, ac Germani Patriarchæ Constantinopolitani sententias minimi

duxit, quos optimos, & doctissimos omnium testatur eius temporis Historicorum consensus. Adeo vèl hominum Christianorum mentes dum sibi plus arrogant potestatis, quàm deceat, dum se hostium Christianæ Religionis cõsilio credunt, in tantam incidunt cęcitatem, vt meridiano velut in Sole cæcutientes optima Maiorũ instituta perfringere nefaria temeritate non dubitent. At quid contra solidam Ecclesię petram, quid contra Petri Successores, aut Iudæorum insania, aut Mahumeti temeritas, aut

Hære-

Hęreticorum impietas antiqui, vel noſtri ſeculi våleat? Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam æterna Veritas pronunciauit. Conantur Iudæi, conantur Mahumetani, conantur Iconomachi iconum vſum delere: ſed delere qui non poſſunt, dum volunt, Idololatræ ipſi fiunt. Veritatem enim & inſtitutione teſtatiſſimam, & Conciliorum authoritate firmiſſimam & tot ſeculorum decurſu antiquiſſimã negare, quid aliud eſt,

quàm opinioni propriæ litare, se ipsos venerari sapientes, alios contemnere, & vnicum sibi statuere quod adorent idolum; vt enim idolũ falsa est imago, ita hæresis falsa imaginatio, vt Hieronymus ait.

Sed veniant scandala, necesse est. sit qui tenebras luci veritatis offundat. sit qui frumento Euangelicæ doctrinæ misceat zizanias; vt aliena impietas nostram augeat pietatem, vt lux veritatis in conspectu tenebrarum clariùs elucescat, vt frumentum sacræ doctrinæ iucundiùs sapiat compara-

ratione zizaniæ. Deus enim patiens, & fortis, tam patiens est, vt malum bonus ipse permittat: sed fortis adeo, vt maius inde bonum educat. Negant Iconomachi sacrarum Iconum vsum: sed Deus ipse non Conciliorum modò, per suũ Vicariũ approbatorũ, hoc est sua diuina authoritate, & consensu: sed prodigijs, miraculisquè confirmat. Hemoroissa statuam Christo æneam, quam ipsa adoraret, apud Paneadem posuit, cuius ex basi, vt Eusebius affirmat, herba quædam non satis cognita nascebatur,

quæ vbi fimbriam Imaginis Christi adulta iam attigisset, omnes è corporibus morbos exterminaret. Habetis hic insigne miraculum. Aliud nunc prodigiosum accipite. Iulianus Apostata, perfidus ille Christi desertor, ac hostis, qui animam iam exhalaturus victorem Galilæum confessus est, prædictam Christi statuam inde amoueri iussit, tribuēdum sibi volens quem Christo abstulerat cultum. Numquid vindex Numinis indignatio tantum facinus inultum abire siuit? Ille idem Deus, qui dissimula-

re

re cùm voluit, nouit, vt arcano, & non ſcrutabili diuinitatis conſilio ſtatutum eſt, qui nocentes à tergo ſequitur tarda vindicta, repentino fulminis ictu poſtmodum ſtatuam Iuliani percuſſit, & quod idolo Dagon 1. *Reg.* accidiſſe narratur, verticem à cæteris membris diuulſit. Sed aliquis hìc fortaſſe ad fortunam appellabit, caſu factum aſſeuerans quod ad diuinam nos iuſtitiam deferimus. Verùm ſanguinem Chriſti ex Imagine Beriti à Iudæis confoſſa manantem, ad quem caſum, ad quam fortunam

reuocas pertinacissime Iconomache? nonne tibi videtur Christus ipse, de cuius latere sanguis prodierit, confossus? & certè confossus fuit; sicut enim honor, sic Imaginis contumelia in prototypum transit.

Cultus Imaginum Aduersarij aiunt, idololatria est. O' solemne mendacium! statuam Principis non adoratis ò Iconomachi? numquid statuam adoratis vt Principem? necquicquam profectò! Nos pariter statuam Christi adoramus: sed non adoramus vt Christum;

Chri-

Christum enim in semetipso adoramus, statuam ratione Christi, quem refert. Crucem adoramus non solum quia Crucifixi imago est: sed etiam quia in eam vicimus Dæmoné, vt loquitur Origenes *hom. 8. in Iosue*, quia fuit sacrum Altare, in quo Christus se obtulit, & quia tactu Saluatoris sanctificata fuit, vt ex Cyrillo, & Damasceno clarè habetur. Reliquas verò cruces ex quacunquè materia siue aurea, siue argentea, siue ænea constantes veneramur, quia veræ Crucis imagines sunt. diuidan-

tur illæ duæ partes, conculcabimus etiam; non enim aurum, argentum, aut æs adoramus, sed Crucem. Nonne & ipse homo venerabilis est, quia Dei imago est? Augustino aduersabitur, & Cyrillo, qui positionem hanc ausus fuerit denegare. Ratio igitur Imaginis venerāda est, quæ in ligneis, lapideisquè imaginibus etiam est.

Verùm esto, Imaginum cultus Idololatria non sit, est tamen idololatriæ occasio; nam & vitulus aureus ab Hebræis in deserto confictus, ab eis adora-

tus est., & à Hieroboamo renouatus, & statua Nabucdonosor Regis renuẽtibus tribus pueris Hebræis ab Aegyptijs adorabatur. Deleantur igitur Imagines, quæ ansam idololatrandi præbuerunt. Sic Serenus Massiliæ Episcopus deleuit, quia à Christianis sacro fonte recens renatis adorabãtur vt dij, vt habetur ex *can. perlatum de consecr. dist.* 3. Hanc ego conclusionem admittam, si quod inde sequitur Iconomachi etiam admittant. Delendæ sunt imagines; quia occasio idololatrãdi sunt; delean-

tur igitur Sol, & Luna, cæterisque Cæli orbibus affixi planetæ, qui non solum ansam præbuerunt idololatriæ: sed summo adorationis genere adorati sunt ab antiquis. Tollatur è rerum vniuersitate pictura, auferatur sculptura, quæ fabrilium artium excellentissimæ testimonium suæ bonitatis Deum ipsum in medium adducunt, qui spiritum suum, & sapientiam, ac scientiam ad sculpendum, & ornandum tabernaculum Beseleelo, & Ooliabo impertiuisse *Exodi cap.* 31. narratur. Numquid fortasse

de-

deleta ſculptura, & pictura delebuntur imagines? deleas te ipſum neceſſe eſt, deleas hanc rerum vniuerſitatem, naturam ipſam qui delere affectas imagines; natura enim ſemper aliquid ſibi ſimile, hoc eſt ſui imaginem generat. nullum corpus in Sole verſari poteſt, quin vmbram, hoc eſt ſui imaginem de ſemetipſo proijciat, & tutemetipſe ſi ſenſu vteris, & intellectu, nullas niſi medijs imaginibus res obiectas cognoſcis. non enim quælibet occaſio peccandi auferenda eſt, & iubetur: ſed quæ
pro-

proxima dicitur, quæquè ab ipsius radicibus peccati nascitur. Si Iudæi, si Ethnici statuas adorabant vt deos, nō adorant Christiani. Illorum idola frangenda erant, quia os habebant, nec loquebantur: oculos, nec videbant: aures, nec audiebant: nares, nec adorabant: manus, nec palpabant: pedes, nec ambulabant: nec erat spiritus in ore ipsorum. Aut si quibus ab Ethnicis simulacra non vt dij, sed vt imagines deorum adorabantur, frangenda pariter erant, quia rerum, quæ nusquam sunt similitudines

nes erant, simulacra sine re, cui assimilarentur, imagines sine prototypo; quarum honor aut in se ipsis terminabatur, aut ad adorantium imaginationem errantem reuertebatur: & quia insuper pessimus ille angelici sceleris author, persuasor humani, deos quosdam in generis humani mentem adorandos induxit, quos homines fuisse multis sceleribus coinquinatos compertum apud omnes erat, vt scelera videlicet persuaderet, & quæsitum cuipis colorem deorum, quos adorabant, exemplo prætenderet;

ret; vt vindictam quærere non puderet, dum Martem belli præsidem venerabantur: vt vino ad ambas vsque aures ingurgitari indecorum non videretur, qui Bacchum sic nouerant ingurgitatum: vt luxuriæ inquinamentis fędari non erubescerent, quia Venerem adorabant, quam prostituto corpore mille passā adulteros manifestissimū erat: vt quodlibet tandem scelus excusatione propria cohonestarent, quia sceleris authores habebant deos. Vel si creatarum rerum; quæ in hac Vniuersitate

vęrè

verè ſint, erant imagines, itidem frangendæ erant, ſi res illæ adorabantur vt dij; ſicut enim qui Creatori debitus honor eſt, ad res creatas non niſi ſacrilegio tranfertur, ſic earum imagines non niſi ſacrilegio coluntur.

At exoriente in cordibus noſtris Lucifero veritatis, ſciſſo in duas partes Templi velo, errorum depulſa caligine, adorandæ erant imagines Chriſti, & Sanctorum, quia earum adoratio eſt adoratio prototypi, quia earum aſpectu rudes docentur, docti excitantur, improbi corrigun-

guntur, boni accenduntur, fides augetur, spes erigitur, charitas inflammatur, studium imitationis progignitur, Deus, Viriquè Sancti honorantur, Numinis auxilium inuocatione deposcitur, fideles dum sunt in Templis vtiliter exercentur, immortalitas animæ, Inferni pœnæ Paradisi felicitas redit in mentem. Ecquis dum eximijs expressum videt coloribus nascentem in terris Deum, humanis artubus circumdatum, hybernum tolerare frigus, seminudum in præsepi iacere, adoratum ab Ange-

lis,

lis, & hominibus, non infinitæ reminiſcitur charitatis, qua genus humanum tunc potiſſimum dilexit, cùm longiſſimè auerſum erat ab ſeſe? Quis Cruci affixum non miſereatur? quis reſurgente non gaudet? quis miracula non miratur edentem? quis tam prauo animo eſt, quę à ſcelere Iudicis non refrænet aſpectus? quis tam demiſſo, quem expreſſa coloribus clementia Seruatoris non erigat? Si Abrahamum filium ſuum ſupra monte immolantem cerno, diuinis obtemperare præceptis diſco. Si

Iosephum è manibus effrenatæ mulieris aufugientem intueor, illibatum seruare pudicitiæ florem statuo. Si eundem ad supremum Aegypti regimen elatum video, summam Dei prouidentiam commendo. Si Petrum lacrimantem aspicio, ex pectore saltem suspirium fundo, si non ab oculis lacrimas, qui factis Christum negasse, quem verbis ille negauit, conscientia teste conuincor. Si denique vt cætera prætermittam ad augustissimæ Virginis aspectũ composita mente respicio, quot

pios

pios animi motus expe-
rior, quot virtutes sese
offerunt, quot præclara
Christianæ pietatis ful-
gent documenta? mode-
stiam apprehendo, ad hu-
militatem informor, mo-
rum candorem suspicio,
doceor sanctitatem.

Has verò sacrarũ Ima-
ginum vtilitates nec ipsi
Iconomachi non viderũt:
imò ratio ipsis fuerunt cur
imagines negarent; cùm
enim fermè omnes, & Iu-
dæi fuerint, & Sammari-
tani, & impij, sacrilegi-
què, imò & necromanti-
ci, si Christum videbant
depictum, cruciabantur,
quia

quia Iudicem reformidabant, & auersi ab omni pietate, excitatam Imaginum aspectu pietatem, probis hominibus inuidebant: veri Numinis reminisci non poterant, dum diabolo litabant: nec pati quòd Inferni pœnæ, quas merebantur, immortalitas animæ, quam noluissent, Paradisi felicitas, quam amiserant, Christi beneficia, quibus erant ingrati, reuocarentur in mentem: suam ipsorum conscientiam, cuius perpetuis morsibus desertores perfidissimi vellicabantur, cum Deo simul, & Sanctis abo-

lere

lere voluissent, & dæmonis magistri imitatores discipuli, sicut ille tertiam partem stellarum cauda traxit ad Inferos, sic densissimis errorum tenebris vniuersum Orbem inuoluere. Sed viguit, vigebitquè veritas, quæ tunc splendidiùs effulget, cùm opponitur falsitati. Longum esset hìc recensere quot flagellis Iconomachos Deus Optimus Maximus afflixerit, vt Constantinopoli, statim atquè crematæ fuerant in Constantinopolitano foro Imagines, plusquam trecenta hominum millia grauissi-

mæ


mæ peſtis lue perierint, vt ingentibus terremotibus ſub Conſtantino Copronymo Leonis Iſauri filio, Imperij non magis, quàm paterni ſceleris herede, integræ Vrbes, multis hominum millibus oppreſſis deiectæ fuerint, vt peſtilentiſſimo iterum orto cõtagio corporibus humandis locus deeſſet, & tandem vt Græcis in Imagines crudeliſſimè ſæuientibus Græcum Imperium diſperſum ſit: Latini verò felicibus rerum ſucceſſibus aucti, qui eaſdem conſtantiſſimè defenderunt. Nequè enim vnquàm non

vin-

vincere possunt qui sub triumphali vexillo Crucis, & sacrarum Iconum militant.

Ego verò ad hæc pacis, & victoriæ signa sermonem recipio meũ; & quòd vestras aures incondita hac dissertatione tãto spatio detinuerim, excusationi locum mihi fore apud vos facilem spero ab ingenita, insitaquè pietate, quæ vestris viget in cordibus. Dixi.

LAVS DEO.



FASTI
ACADEMIAE
BASILIANÆ,

Descripti ab eodem

IOSEPHO CARPANO.





Cademia Basiliana erecta fuit Romæ in Cœnobio Monachorũ S. Basilij Magni ritus Græcanici apud Eccle-

ſiam S. Ioannis de Mercato, vulgo Mercatello, in Regione Pineæ, opera eorundem Monachorum, ſic iubente Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo Principe Franciſco Cardinali Barberino S. R. E. Vicecancellario, illius Ordinis Protectore vigilantiſſimo, memoriæ nunquam interituræ, ſub patrocinio eiuſdem Eminentiſſimi D. Cardinalis Anno 1635. die Dominico 3. Iunij Sanctiſſimæ Triadi dicato;

to; quo die habita fuit solemnis Oratio in prædicta Ecclesia à P. D. Ioanne Baptista Aegypto eiusdem Ordinis Monacho pro Academiæ erectione; cuius institutum fuit, vt priùs haberetur Lectio latinè conscripta de rebus sacris, vel moralibus, & potissimum ad controuersias Ecclesiasticas spectantibus, & deinde solueretur dubium aliquod linguæ Græcæ, desumptũ præcipuè ex Liturgijs

Græcorum, proponendum ab eo, à quo in antecedenti Academia Lectio fuit habita; ideoquè eiusdem Academiæ Secretarij munus erat, duos semper præmonere, alterum, qui Lectionem haberet: alterum, qui Dubium propositum solueret, de consensu tamen Eminentissimorum DD. Cardinalium Protectoris, & Principis eiusdem Academiæ, sine quorum præsentia nulla Academia fuit habita.

Pro-

Protector autem fuit prædictus Eminentissimus D. Cardinalis Franciscus Barberinus: Princeps verò clar. mem. Eminentissimus D. Franciscus Maria Cardinalis Brancaccius: Secretarius D. Ioannes Baptista Donius Florentinus. Vt autem tam celebris Academiæ memoria nullo vnquam tempore periret, ego inter Academicos illos præstantissimos, licet immeritus, & nullius virtutis, be-

nignitate eiuſdem Eminentiſſimi D. Cardinalis Barberini adlectus, tunc omnes Academias eo ordine, quo habitæ fuerunt, diligenter adnotaui, & nunc poſt hanc meã opellam reſcripſi, eaſquè publicam in lucem edere non incongruum duxi ad Reipublicæ literariæ ſolatiũ.



SE-

SERIES
ACADEMIARVM.



Die 13. Iunij 1635.
In Aula prædicti Cœnobij habita fuit

PRIMA ACADEMIA,
in qua disseruit.
P. D. Vincentius Riccardus Clericus Regul.

Die 27. Iunij 1635.
II.
D. Ioannes Baptista Catumzerita *ad Lectionē.*

Die 5. Septembris 1635.

III.

D. Lucas Holſtenius *ad Lectionem.*

Die 19. Septembris 1635.

IV.

Reuerendiſſimus P. M. Fr. Nicolaus Riccardius Sac. Pal. Apoſt. Magiſter, Ord. Prædicat. *ad Lectionem, qui deinde propoſuit primum Dubium, ſoluendum in ſequenti Academia, prout deinceps ſeruatum fuit.*

Die 3. Octobris 1635.

V.

P. D. Antonius de Tomaſis

ſis Ord. S. Baſilij Monachus *ad Lectionem*.
D. Lucas Holſtenius *ad Dubij ſolutionem*.

Die 7. Nouembris 1635.
VI.
P. D. Ioannes Baptiſta Ægyptus Ord. S. Baſilij Monachus *ad Lectionem*.
D. Ioannes Baptiſta Catumzerita *ad Dubium*.

Die 21. Nouembris 1635.
VII.
D. Raphael Magiottus *ad Lectionem*.
P. D. Vincentius Riccardus Cle. Reg. *ad Dubiũ*.

Die 5. Decembris 1635.

VIII.

D. Petrus Lasena *ad Lectionem.*

D. Lucas Holstenius *ad Dubium.*

Die 19. Decembris 1635.

IX.

P. D. Theophilus Ord. S. Basilij Monachus *ad Lectionem.*

Ioseph Carpanus *ad Dubium.*

Die 9. Ianuarij 1636.

X.

D. N. Abbas Carleualius *ad Lectionem.*

P. D. Vincentius Riccardus

dus Clericus Regularis *ad Dubium*.

Die 13. Februarij 1636.

XI.

Ioſeph Carpanus *ad Lectionem*.

D. Leo Allatius *ad Dubium*.

Die 27. Februarij 1636.

XII.

D. Petrus Laſena *ad Lectionem*.

D. N. Abbas Carleualius *ad Dubium*.

Die 13. Martij 1636.

XIII.

D. Federicus Comes Vbaldinus

dinus *ad Lectionem*.
Ioseph Carpanus *ad Dubium*.

Die 2. Aprilis 1636.
XIV.
D. Canachius Rossius *ad Lectionem*.
P. D. Antonius de Tomasis Ord. S. Basilij Monachus *ad Dubium*.

Die 16. Aprilis 1636.
XV.
P.D. Ioannes Lanteri Ordinis S. Basilij Monachus *ad Lectionem*.
D. Franciscus Arcudius *ad Dubium*.

Die

Die 7. Maij 1636.

XVI.

D. N. Abbas Carleualius *ad Lectionem.*

Ioseph Carpanus *ad Dubium.*

Die 18. Iunij 1636.

XVII.

D. Iulius Antonellus *ad Lectionem.*

P. D. Dionysius Mungo Ordin. S. Basilij Monachus *ad Dubium.*

Die 9. Iulij 1636.

XVIII.

D. Lucas Holstenius *ad Lectionem.*

D. Gauges de Goggis *ad Dubium.*

Die

Die 6. Augusti 1636.
XIX.

D. Iacobus Accarisius *ad Lectionem*.
D. Petrus Lasena *ad Dubium*.

Die 26. Nouembris 1636.
XX.

D. Ioannes Donatus Ferrarius *ad Lectionem*.
P. D. Chrisostomus Iordanus Ordin. S. Basilij Monachis *ad Dubium*.

Die 26. Ianuarij 1637.
XXI.

D. Ioseph Meronius *ad Lectionem*.

Io-

Ioſeph Carpanus *ad Dubium*.

Die 16. Martij 1637.

XXII.

P.D. Antonius de Tomaſis Ord. S. Baſilij Monachus *ad Lectionem*.

D. Iulius Antonellus *ad Dubium*.

Die 30. Martij 1637.

XXIII.

D. Canachius Roſſius *ad Lectionem*.

D. Iacobus Accariſius *ad Dubium*.

Die 20. Aprilis 1637.

XXIV.

D. Ioſeph Meronius *ad Lectionem*.

P. D.

P.D. Basilius Pittella Ordin. S.Basilij Monachus *ad Dubium*.

Die 17. *Augusti* 1637.

X X V.

D. Henricus Dromalius *ad Lectionem*.

D. Iulius Antonellus *ad Dubium*.

Die 7. *Septembris* 1637.

X X V I.

D. Pantaleo Lygariddius *ad Lectionem*.

P.D. Antonius de Tomassis Ordin. S. Basilij Monachus *ad Dubium*.

Die

Die 16. *Nouembris* 1637.
XXVII.

R. P. D. Ioannes, Procurator Generalis Ordinis S. Basilij *ad Lectionem*.

Ioseph Carpanus *ad Dubium*.

Die 14. *Decembris* 1637.
XXVIII.

D. Ioannes Baptista Lilius *ad Lectionem*.

P. D. Basilius Pittella Ordinis S. Basilij Monachus *ad Dubium*.

Die 3. *Martij* 1638.
XXIX.

Lectio vacauit.

D. Hen-

D. Henricus Dromalius. ⎫ ambo ad *Dubiũ*.
D. Lucas Holstenius. ⎭

Die 22. Martij 1638.
XXX.

D. Andreas Baianus *ad Lectionem*.

D. Franciscus Arcudius *ad Dubium*.

Eminentissimus D. Alphonsus Cardinalis de la Queua recol. mem. nouus Academiæ Princeps, propter absentiam ab Vrbe Eminentissimi D. Cardinalis Bran-

cacciј, qui contulit se ad suam Ecclesiam Viterbiensem.

Die 14. *Iuniј* 1638.

XXXI.

P. D. Antonius de Tomasiis Ord. S. Basilij Monachus *ad Lectionem.*

P. D. Vincentius Riccardus Cleric. Regul. *ad Dubium.*

Die 21. *Iuniј* 1638.

XXXII.

D. Carolus Moronus *ad Lectionem.*

Dubium vacauit.

Die

Die 30. Augusti 1638.
XXXIII.

D. Ioannes Baptista Donius Academiæ Secretarius *ad Lectionem*.

D. Pantaleo Lygariddius *ad Dubium*.

Die 7. Februarij 1639.
XXXIV.

Ioseph Carpanus *ad Lectionem*.

P.D. Ioannes Lanteri Ordinis S. Basilij Monachus *ad Dubium*.

Die 28. Martij 1639.
XXXV.

D. Lucas Holstenius *ad Lectionem*.

P. D. Hieronymus Pallotta Ord. S. Basilij Monachus *ad Dubium*.

Die 2. Maij 1639.

XXXVI.

P. D. Dionysius Mungo Ord. S. Basilij Monachus *ad Lectionem*.

Dubium vacauit.

Die 16. Maij 1639.

XXXVII.

D. Claudius Comes Marazzanus *ad Lectionem*.

D. Ioannes Andreas Staurinus *ad Dubium*.

Die 13. Decembris 1639.

XXXVIII.

D. Iacobus Buccardus *ad Lectionẽ*. Io-

Ioseph Carpanus *ad Dubium*.

Die 30. *Ianuarij* 1640.
XXXIX.

D. Andreas Taurellus *ad Lectionem*.
D. Carolus Moronus *ad Dubium*.

Die 16. *Aprilis* 1640.
XL.

D. Ioannes Baptista Donius Academiæ Secretarius *ad Lectionem*.
D. Pantaleo Lygariddius *ad Dubium*.

Die 18. *Iunij* 1640.
XLI.

Reuerendissimus D. Ioannes

nes Baptiſta Rinuccinus Archiepiſcopus Firmanus *ad Lectionem*.

Dubium vacauit.

Die 13. *Auguſti* 1640.

XLII.

P. D. Baſilius Pittella Ordinis S. Baſilij Monachus *ad Lectionem*.

Reuerendiſſimus D. Nicolaus de Tadeis Epiſcopus Bitettenſis *ad aliam Lectionem*.

Dubium vacauit.

Et cum hoc quadrageſimo ſecundo congreſſu

L *finis*.

finis fuit impositus huic non minus eruditæ, quàm vtili Academiæ.



NOMINA ACADEMICORVM.

ANdreas Baianus.
Andreas Taurellus.
Canachius Rossius.
Carolus Moronus:
Claudius Com. Marazzanus.
Federicus Com. Vbaldinus.
Franciscus Arcudius.
Gauges de Goggis.
Henricus Dromalius.
Iacobus Accarisius.

Iacobus Buccardus.

Ioannes Andreas Staurinus.

Ioannes Baptista Catumzerita.

Ioannes Baptista Donius, Academiæ Secretarius.

Ioannes Baptista Lilius.

Ioannes Baptista Rinuccinus Archiepiscopus Firmanus.

Ioannes Donatus Ferrarius.

Ioseph Carpanus.

Ioseph Meronius.


Iulius Antonellus.

Leo Allatius.
Lucas Holstenius.
N. Abbas Carleualius.
Nicolaus de Tadeis Episcopus Bitettensis.
Nicolaus Riccardius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatij Apostolici Magister.
Pantaleo Lygariddius.
Petrus Lasena.
Raphael Magiottus.
Vincẽtius Riccardus Cleric. Regul.

Monachi ex Ordine S. Basilij.

ANtonius de Tomasis.
Basilius Pittella.
Chrisostomus Iordanus.
Dionysius Mungo.
Hieronymus Pallotta.
Ioãnes Baptista Aegyptus.
Ioannes Lanteri.
Ioannes, Ordinis Proc. Gener.
Theophilus.

FINIS.



Errata			*Correctio.*
Pag.	lin.		
21	16	vindicat	vendicat
38	1	vir-	deleatur
	5	ſpendoribus	ſplendoribus
87	9	profunduntur	profundantur
110	2	militia	militiæ
127	19	perfectam	perfectum
159	8	imortale	immortale
	13	meſe	menſe
163	17	elargiti	elargiri

Leuiora humanitas Lectoris corriget.

